Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Justus Christoph Schomer

Specimen Theologiae Moralis, Quo vera & naturalia omnis iuris atq[ue] honestatis principia breviter eruuntur, Quinque Disputationibus In Universitate Rostochiensi propositum

Rostochi[i]: Wepplingius, 1690

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746160089

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746160089/phys_0001
DFG

F. h – 1055.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746160089/phys_0002
DFG

Xa-16:5.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746160089/phys_0003
DFG

197

SPECIMEN THEOLOGIÆ MORALIS,

Quo vera & naturalia omnis juris atq; honestatis principia breviter eruuntur,

QUINQUE DISPUTATIONIBUS

IN UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

propositum,

AUCTORE


JUSTO CHRISTOPHORO SCHOMERO,

S. Th. D. & Prof. Prim. Consil. Consist. & Superintendente Mecklenb.

Rostochi, Typis JOHAN. WEPPLINGII, Acad. Typogr.

Anno M DC XC.

Th 1033.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746160089/phys_0006
DFG

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DN. CHRISTIANO LUDOVICO,

Duci Mecklenburgensi, Principi Wendorum, Sverini & Razeburgi, Comiti Sverinensi, Terrarum Rostochii & Stargardiæ Dynastæ, Eqviti ordinis Christianissimi Regis,

PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746160089/phys_0007
DFG

SERENISSIME PRINCEPS.

PRimæ hæ ſunt ex diſputationibus meis, in almâ hac Univerſitate Roſtochienſi propoſitis, qvas ſub peculiari titulo collectas patior in publicum prodire, neqve alii qvàm Celſiſſimo Serenitatis Tuæ Nomini eas inſcribere debui, tum ut à Tanti Principis patrocinio illis aliqvod pretium quærerem, tum ut de obſeqvio humillimo, qvod Serenitati Tuæ in provinciâ mihi clementiſſimè demandatâ jam à decennio præſtiti, deqve gratâ mente pro conceſſo hactenus

tenus ſtudiis meis præſidio benigniſſimo publicè teſtarer. Nihil Tuo culmine dignum me offerre, probè confidero; ſed & hæſi anceps hactenus, an omnino à meæ profeſſionis tenuisq; ingenii homine aliqvid proficiſci poſſet, qvod benignè annuentem Serenitatis Tuæ vultum ſibi ſponderet. Vicit tamen dubitationem conſcientia officii, ut in hac morali Theologiæ parte, quæ inter varia hodie religionis diſſidia ab omnibus partibus imprimis laudari ſolet, & minora ſententiarum divortia pati videtur, meæ periculum facerem fiduciæ. Accipe igitur, Sereniſſime Princeps, tardiores licet has ſive primitias, ſive poſt elapſum tot annorum curſum, decimas meditationum mearum, non tantùm ſtudiorum, qvæ in antiqvâ hac bonarum literarum ſede juventuti ſatago proponere, ſed & reverentiæ, quam Serenitati

nitati Tuæ subjectissimam servo, interpretes, & serenâ fronte provolutum ad genua clientem erige, ut auspicatò me hoc thema in augustum conspectum Tuum produxisse læter. Veneror Deum, ut sub hoc vertentis anni termino nova cœlestis gratiæ & omnigenæ felicitatis Tanto Principi expetendæ incrementa Serenitati Tuæ largiatur, & sub prosperrimo ac longævo regimine Tuo publica salus harum terrarum magis magisque efflorescat. Rostochii d. XXII. Decembris, Anni MDCXC.

SERENITATIS TUÆ

subjectissimus

J. C. SCHOMERUS.

AUCTORIS PRÆFATIO AD LECTOREM.

QVum cœptum harum disputationum cursum præter impedimenta alia imprimis raritas respondentium moretur, quibus ejusmodi exercitia non obtrudere recusantibus, sed ultrò petentibus tantùm concedere amo, consensi ut typographus, qvi suis rationibus consulere optat, exemplaribus, qvæ habebat, citiùs vendendis titulum hunc præfigeret, ratus in hoc prodromo me experiri posse doctorum virorum judicia, utrùm telam, qvam exorsus sum, pertexere an abrumpere satius esse videatur. Principia Theologiæ moralis hîc propono eo modo, ut qvomodo illa ipsi rerum naturæ mentibusq; nostris ante omnem institutionem infixa hæreant, & æternâ ac immutabili lege officium hominis moderentur, paucis ostendam. Invitarunt me ad hanc meditationem controversiæ, quæ inter viros doctos nostrâ ætate gravissimæ extiterunt devero fonte & fundamentali propositione juris naturalis, cujus ambiguitate ita animadvertimus plurimos pendere, ut fuerint, qvibus desperata res visa est, omnia hominũ officia ad paucas qvasdam universales leges revocare, unde omnes conclusiones feliciter deducantur. Digna tn. qvæstio est, qvam altiùs rimemur, ut adversus atheos scepticosq; homines, qui nihil naturâ honestũ vel turpe esse, sed à solâ utilitatis & securitatis mutuæ experientiâ vel credulitate educationis regulas vivendi introductas esse putant, rite vindicetur argumentum, qvod pro existentiâ summi Numinis ex innatâ nobis lege sumitur. Qvin neq; illud κριτήριον revelationis divinæ, qvod à sanctitate doctrinæ petitur, pro agnoscendâ Scripturâ S. justum pondus habebit, nisi de ipsâ normâ æstimandæ sanctitatis naturali & perpetuâ nobis penitus constet. Propono igitur planas qvasdam & facilè obvias hypotheses, qvas si naturæ conformes verasq; & necessarias esse, atq; ad deducendam inde totam moralis doctrinæ compagem sufficere mecum deprehendent alii, gratulabor veritati, si qvid verò erratum in iis esse judicabitur, communem cum magnis ingeniis sortem in re arduâ non molestè feram. Propono illas nullo ornatu humani testimonii vel argutarum sententiarum vestitas, ut nudas & incomtas sola vis sensûs & rationis communis fortiùs commendet; neq; vel recitatione vel refutatione variarum opinionum turgidas, ne ab alienâ lubricitate potiùs qvàm suâ sibi firmitate videantur petere incrementum. Qvòd verò Theologiam moralem profitear me

scribere, &S. literarū testimonio usus sim, aliqui fortè alienū putabunt à philosophico illo commentandi genere, qvo in principia ratione &naturâ nota inqviritur. Sed alia humani testimonii ratio est alia divini, illud sæpe in errorem ducit, hoc aberrantes in viam revocat, omniumq; nobis ejusmodi meditationum lapis lydius est. Qvemadmodum enim qvi v. g. de genesi & motu cometarum aut systemate cœli philosophari vult, oleum & operam perdit, nisi doceat hypothesibus suis qvamvis ingeniosè inventis cum observationibus Astronomorum convenire, ita certum est, multò turpiùs illos suo otio abuti, qvi principia conclusionum moralium alia quærunt, qvàm quæ cum orthodoxâ Theologiâ consistere possunt. Itaq; tum demum in hac causâ officio rectè videmur fungi, cum qvod rationis ductu demonstramus philosophis, idem S. literarum auctoritate docemus Christianos, & sic eandem veritatem utrâq; luce radiantem proponimus. Libertatis philosophandi verò, qvâ usus sum, abæqvo lectore facilem veniam spero, cum inter novas plures hominum opiniones, quibus Aristoteles hodiè sordet, non quid sequatur ex peripateticis, sed quid ex communib9 naturæ principiis, (quibus nemo contradicere potest) ostendi debuerit. Non amo novitatem verborum in Ecclesiâ; attamen rectiùs nobis consultum fuisse arbitror, si conceptûs rebus, quàm res conceptibus anteceptis accommodare, & sic scholarū placita ad normā orthodoxæ Theologiæ, qvàm hanc ex illis corrigere maluissent multi, qvi accuratioris philosophiæ laudem sibi infeliciter quæsiverunt. Si quid autem, dum sumtibus respondentium parcens stylum contraxi, vel obscuriùs propositum vel ulteriore consideratione dignum videbitur, poterit id secundis curis emendari. Interim errata qvædā, qvæ vel typothetæ vel correctoris incuriâ irrepserunt, alterâ nunc relectione observata ita emendari, & pauca qvædā, quæ ad mentē planiùs explicandā proderunt, inseri velim.

Cap. I. §. 3. lin. 13. leg. *ultimus esse* deleto commate. ib. §. 7. lin. 9. *Ptolemæus*, §. eod. lin. 31. *vel composita* ib. lin. ult. *Ps. CXI.* 10. §. 10. lin. 3. 1. *Cor. X*, 31. lin. 6. *seq. Rom. XII*, 1. 1. *Thess. IV*, 1. II. *Cor.* V. 9. *Col* 1. 10. 1. *Tim.* II, 2. *seq.* lin. 9. 1. *ep.* II. 12. c. III. 16. lin. 46. *suppeditantur*, §. 15. lin. 4. *nes alium Deum*, lin. 32. *testimoniis* §. 14 lin. antep. *terminos*. §. 15. lin. 10. *etiam aliquas* §. 18. lin. 34. *consiliarium* §. seqq. corrigatur numerus, 19. 20. 21. §. 20 lin. 28. *praxin*. Cap. II. §. 2. lin. 8. *exempla. Stylo* lin. 21 *inhærentem. Cum autem sanctitas de DEO* §. 6. lin. 12. *suum* §. 7. lin. 20. *delectet* §. 8. lin. 9. *immanens* lin. 13. *prodest* lin. 14. *& carere & augeri* lin. 31. *Jac.* II. 20. 26. §. 9. lin. 6. c. *II.* 10 lin. 16. *Matth. V.* 19. §. 10. lin. 7. *differunt* §. 11. lin. 14. *Eccles. VII.* 17. §. 14. lin. 15. *inbenimus. Ita multæ actiones sunt laudabiles, quæ tamen quàspecificè tales, neq; necessariæ sunt, neq; hominem meliorem reddunt, ita etiam ut iis omissis generica obligationi in aliâ actionum specie sæpe feliciùs satis fieret. Certat hic* §. 15. lin. 14.

lin. 14. Ef. X. 5. seqq. XIII. 3. seqq. XLIV. 28. XLV. 1. lin. 43. à communi aliquâ obligatione, quâ omnes tenemur, sed §. 16. lin. 15. meliorem pharisaicâ lin. 22. Gal. V. 22. §. 17. lin. 3. Rom. VI. lin. 16. Rom. VIII. 9. 13. §. 18. lin. 11. II. Reg. XXII. 2. lin. 13. 1. Joh. III. 22. §. 19. lin. 7. adversarij nostri lin. 14. 1. Joh. V. 3.

Cap. III §. 1. lin. 11. palpebræ §. 7. lin. 33. concludimus, conf. II. Cor. XII 6. 9. g. lin. 56. convenit, & ut ad oppositarum specierum ac hypothesium alterutram trahere velimus, quod neutri aptum est, quasi immediata esset oppositio, quæ non est. §. 8. lin. 13. dum illas §. 15. lin. 19. dicitur, qualis describitur II. Petr. III. 5. lin. 33. reatu Luc. XII. 48. & 19. lin. penult. in utrumq; & legem Dei & judicium mentis, impingit, §. 20. lin. 14. dubitandi §. 20. lin. antep. elegerit, nisi ipse in eâ re dubius, & justâ de causa persuasus est, quod ille alter sese melius sciat, quid rectum justumq; sit, (id quod generaliter in omnibus causis locum habere nequit) utiq; nôvit §. 24. lin. 7. ne exprobrari quidem per iram & acerbitatem amplius.

Cap. IV. §. 1. lin. 14. accipiendam §. 4. lin. 8. seq. determinare lin. 19. certum §. 7. lin. 20. c. XIII. 2. lin. 21. Rom. I. 21. lin. penult. omnis malitiæ §. 8. lin. 21. Rom VIII. 11. seq. §. 12 lin. 6 nostra, quâ scilicet voluntatem nostram actualem probamus, & quia §. 15. lin. 16. Gal. V. 17. §. 16 lin 7. voluntatis, lin. 38. fugimus, & rapto in voluntatis consensum intellectu etiam tale fore putamus, & licet &c. §. 17. lin. 11. jucundum §. 18. lin. 23. disjunctus lin. 32. auferuntur §. 20. lin 2. distinguitur §. 21. lin 50. Matth. XII. §. 27. lin. 16. appetere vel unicè vel principaliter ut &c. §. 23. lin. 5. voluntas est, etiamsi in simplice voto consistat; ejus autem §. 25. lin. 27. consternatio. Desiderium vel metus junctâ circumspectione de mediis rei vel obtinendæ vel evitandæ, CUR 4. §. 27. lin. 9. 1. Sam. XXXI. 4. §. 30. lin. 1. ab affectibus voluntatis lin. 15. confusionem, item curæ, quatenus significat ipsum conatum ad consilium exequendum.

Cap. V. §. 1. lin. 12. intentionem finis & operat. §. 3. lin. 28. quâ huic ille §. 7. lin. 3. appellatur, aliâ nunc significatione voculæ juris, quàm quæ præcedente paragrapho observata est. lin: 31. Dan. VIII. 12. §. 8. lin. 1. Externum rebus & actionibus obligandi §. 9. lin. 25. Academici, si secundùm mentem Ciceronis 1. de off. intelliguntur, non malè §. 12. lin. 18. primo lin. 19. ladere §. 14. lin. 3. æstimatione vel æstimationis necessitate §. 16. lin. 14. illum (etsi non quâ ad affectum) tenebamur §. 17. lin. 8. expirant Ps. VI. 6. Es. XXXVIII. 18. lin. 12. præstari possit. §. 18. lin. 37. dum non obligationem à fundamento suo (quod fieri nequit) sed fundamentum ejus à rebus tollit, & vel subjecta lin. 48. aut denique fundamento & obligatione pristinâ servatâ novam illi adjicit, & arctiore §. 19. lin. 15. eum metiri §. 20. lin. 9. fiunt præter obligationem justitiæ specialiter sic dictæ, latè §. 22. lin. 16. non amplius amoris lin. 23. species puri amoris §. 21. lin. 29. attrectationem lin. 44. arbitratu §. 26. lin. 35. conductis communes §. 2 . lin. 43. Ubi autem rerum lin. 55. quæritur ab exemplo impare, ut ex iis quæ aliàs æqualitatem habere visa sunt, quænam hic & nunc pro æqualibus æstimari debeant, reputes, ut aris ad mercem, hordei lin. 57. fit æstimatio, cum secundùm earum differentiam eadem res idemq; factum majoris minorisve æstimatur, & ad eas quidem vel lin. 82. judicas. Hæc justitia compensationis, cuiq; vel merito vel delicto debitæ, ut constans & perpetua esse debet, ita & ab exemplis probatis regulariter æstimari, v. g. ut quod pauperior uno aureo luit, alter duplo ditior duobus luat &c. Quæ iterum regula proportionum geometricarum est. Hanc §. 29. lin. 27. forma partialis &c.

SUMMARIA.

CAP. I. DE NATURA THEOLOGIÆ MORALIS.

§.1. Theologia Moralis est altera pars systematis Theologici.
§.2. A paucis nostratium peculiari opere tractata,
§.3. Est finis quidam articulorum fidei priore parte traditorum,
§.4. Dicitur à moribus & illorum æstimatione.
§.5. Ejus definitio brevis,
§.6. Genus est disciplina,
§.7. Vel sapientia, sed non sensu Aristotelico,
§.8. Objectum directum id, qvod immediatæ obligationis est erga Deum,
§.9. Distinguitur à qvæstionibus fidei & rituum,
§.10. Finis proprius internus & externus,
§.11. Principium cognoscendi lex divina, etiam naturaliter nota quidem,
§.12. Attamen imperfectè nota, undePhilosophia Scripturæ S. subjicienda.
§.13. Distinctio Theologiæ moralis ab ethicâ philosophorum quænam?
§.14. Distinctio inter lumen naturæ & placita scholarum.
§.15. Leges divinæ revelationis universales,
§.16. Legum Mosaicarum auctoritas,
§.17. Auctoritas exemplorum S. Scripturæ,
§.18. Distinctio Theologiæ moralis à jurisprudentiâ & politicâ,
§.19. Ejusdem an aliqva distinctio à jure naturæ & gentium?
§.20. Auditores vel subjecta informanda.
§.21. Methodus & certitudo.

CAP. II. DE SANCTITATE & PERFECTIONE CHRISTIANA.

§.1. Externus finis, ut exemplar perfectionis respiciendus,
§.2. Sanctitas qvid? quomodo in Deo & homine?
§.3. Ejus quadruplex perfectio.
§.4. Partium subjectivarum symmetria perfecta,
§.5. Circa partes objectivas perfectio tum exercitii tum specificationis.
§.6. Perfectio graduum & intensiva & extensiva, perpetuam sanctitatis suavitatem afferens.
§.7. Quæstio Græcorum de summo bono, quomodo huc quadret?
§.8. In habitu illud potiùs quàm actu ponendum.
§.9. Sanctitas indivisibilis, nullus status purorum naturalium dabilis.
§.10. Sanctitatis puræ & perfectæ nulli gradûs nisi accidentales.
§.11. Ejusdem nullus excessus. resp. ad *Eccl. VII, 17.*
§.12. Sanctitas virtutibus distincta, quarum nulla perfecta sine perfectione sanctitatis totali.

§.13. Vir-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746160089/phys_0014
DFG

§.13. Virtus qvomodo in medio posita?
§.14. Actio virtutis, an aliquando libertati nostri relicta?
§.15. Virtus heroica quid differat à sanctitate?
§.16. Sanctitas fidelium inchoata,
§.17. Differentia ejus à virtutibus ethnicorum.
§.18. Dicitur impletio & servatio legis.
§.19. Πνεῦμα divina an locum habeat?
§.20. ἀκρίβεια seu præcisitas qvalis probetur?

CAP. III. DE INTELLECTU & CONSCIENTIA.

§.1. Intellectus primum agendi principium,
§.2. Ejus duplex fons, ratio & sensus.
§.3. Ratio quid? fundamentale axioma.
§.4. Sensus quid? ejus certitudo.
§.5. Notiones naturales & revelationes divinas sensus arguit.
§.6. Inde signa, præsumtiones, certitudo triplex,
§.7. Fontes ignorantiæ & erroris.
§.8. Imaginatio ut ab intellectu distinguatur?
§.9. Intellectus qvomodo à voluntate trahatur?
§.10. Memoria quomodo voluntati subjecta?
§.11. Erroris omnis præcautio impossibilis.
§.12. Error tamen ingratus. Primum principium practicum.
§.13. Principium alterum.
§.14. Quarum rerum intellectus necessarius?
§.15. Ignorantia peccans quotuplex?
§.16. Dubitatio peccans.
§.17. Conscientia quid?
§.18. Ejus varia distinctio.
§.19. Obligatio conscientiæ errantis.
§.20. Conscientiæ certitudo quàm necessaria?
§.21. Obligatio dubiæ.
§.22. Firmitas differens à pertinaciâ.
§.23. Teneritudo & scrupulositas,
§.24. Bonitas sive puritas nulla sine fide.

CAP. IV. DE VOLUNTATE & AFFECTIBUS.

§.1. Alterum agendi principium voluntas, seu volendi facultas.
§.2. Subordinatur intellectui, & cum eo crescit.
§.3. Libertas quid?
§.4. In solâ rectitudine locum habet,
§.5. Ad obligationem moralem necessaria.

§.6. Ma-

§.6. Male oppugn.
§.7. Probatur auctoritate S. Scripturæ & exp...
§.8 Limitata tamen pro statu morali & naturali,
§.9. Etiam à providentiâ divinâ, non tamen sublata,
§.10 Et à coactione ac persvasione externâ,
§.11. Etiam in actibus elicitis.
§.12. Proæresis. Principia actionum peripatetica.
§.13. Appetitûs sensitivi à voluntate distinctio qvalis?
§.14. Gradûs motuum voluntatis,
§.15. Lucta voluntatis secum ipsa.
§.16. Objectum formale voluntatis bonum & malum, tripliciter dictum.
§.17. An inde principium aliqvod practicum fluat?
§.18. Distinctiones voluntatis ab intentione objecti,
§.19. Distinctiones ejusdem ab intensione volendi,
§.20. Distinctiones aliæ à subjecto, signo & effectu.
§.21. Regulæ morales à variâ intensione voluntatis fluentes,
§ 22. Regulæ fluentes ab intentione objecti variâ.
§.23. Voluntas impossibilium,
§ 24. Voluntatis mutabilitas & obstinatio,
§.25. Distinctio modorum volendi, seu affectuum,
§ 26. Affectûs qvid?
§.27 Amor sui fundamentalis, excusatio à vi & metu.
§.28. Affectuum ex se invicem derivatio.
§.29. Moderatio illorum.
§ 30. Distinctio eorum, quæ perperam inter affectûs numerantur.

CAP. V. DE JUSTITIA UNIVERSALI.

§.1. Convenientia actionis cum objecto.
§.2. Relatio quid?
§.3. Relationis fundamentum.
§.4. Quotuplex relatio?
§.5. Inde moderatio actionum.
§.6. Obligatio & jus activũ & passivum.
§.7. Jus internum & naturæ immutabile.
§.8. Jus externum & lex positiva qvid?
§.9. Justitia quid?
§.10. Regulæ justitiæ ex comparatione.
§.11. Regulæ ex dependentiâ fluentes.
§.12. Libertas naturalis, & injuria.
§.13. Obligans & obligatus qvis?
§.14. An & inanimata, & bruta?
§.15. An & infans, absens, mortuus?
§.16. Remissio ejꝰ qvod in obligatione est
§.17. Duratio & cessatio obligationis,
§.18. Qvæ obligatio mutabilis & dispens.
§.19. Amor qui differat à justitia?
§.20. Amoris virtutes quæ?
§.21. Causæ obligationis specialis.
§.22. Distinctio gratitudinis & justitiæ.
§.23. Causæ contractuum & delictorum.
§.24. Pœna quid?
§.25. Distinctio justitiæ universalis & particularis.
§.26. Distinctio justitiæ commut. & distr.
§.27. Proportio arithmetica & geometri-
§.28. Justitiæ distinctiones plures. (ca.
§.29. Æquitas quid?
§.30. Obligatio quâ quis tenetur sibi ipsi.
§.31. Objectorum & causarum partitio.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746160089/phys_0016
DFG

CAPUT I.

DE NATURA THEOLOGIAE MORALIS.

DISP. I. Resp. PETRO NEUMANN Mecklenb.

§. I.

Theologiam omnem commodè distingui mus in duas partes, alteram qvæ fidei doctrinam tradit, alteram qvæ morum disciplinam. Hæc est, qvam *Moralem Theologiam* appellamus, non quòd peculiaris Theologiæ species sit, sed qvòd altera totius systematis pars. Qvicqvid enim ad considerationem Theologi pertinet, unâ voce *Religionis* possumus complecti, qvæ est *obligatio hominis erga Deum.* Hujus obligationis veritatem & causas, an & qvare Deo obligati simus? per omnes locos Theologicos docemur, dum qvid Deus sit, unde innotescat, qvantum creatione nobis beneficium contulerit, qvantum providentiâ & angelorum ministerio qvotidie conferat, qvali lapsûs & peccati reatu ipsi teneamur, & viriû nos juvandi impotentiâ contractâ, qvale ejus mali remedium à Christo Salvatore propositum sit, quâ præterea Sp. sancti gratiâ nobis applicatum, qvid lex, qvid Evangelium, qvid sacramenta in eâ re præstent, qvæ Ecclesiæ cura Deo sit, qvid deniq; post hanc vitam vel sperandum promittatur vel timendum restet, ut in officio contineamur, longo ordine enarrant systemata. Qvæ omnia ut totidem obligationis nostræ argumenta atq; vincula eleganter consideravit in breviario Hulsemannus. Post hæc omnia probè cognita, restat alterâ parte tradendum, ad qvid igitur Deo obligati simus? seu, qvæ obligationis nostræ partes atq; munia sint, qvæ ille & qvalia à nobis

officia desideret? Neq; enim in causis officii nostri explicandis acqviescit Theologia, sed & rectè illo fungi docet, ut plena sibi constet Religionis institutio.

§. 2. Nostrates qvi systemata Theologiæ scripserunt, pleriq; moralem ejus partem vel non attigerunt, vel locis de Lege, de bonis operibus, de conjugio & magistratu politico incluserunt, alii etiã sparsim singulis locis qvasi qvosdam usûs practicos aut conscientiæ casûs subjecerunt. Nemo tamen est (qvod sciam) qui distinctam hanc Theologiæ partem esse inficias eat; sed qvamvis pro numero illorum, qvi de fidei articulis scripserunt, pauci sint qui hanc diligentiùs exornarunt, aliqvos tamen habemus summi nominis viros, qvi peculiaribus operibus Theologiam moralem exponere integram, vel delineare tantùm aut commendare voluerunt. Qvorum diligentiam ut imitentur alii, plurium votis passim excitantur.

§. 3. Est autem hæc posterior pars finis qvidam prioris, vel ut distinctiùs rem explicemus, ea quæ priore parte traduntur de naturâ Dei ac beneficiis divinis, variisq; obligationis nostræ vinculis, propterea traduntur, accipiuntur, creduntur, ut id, qvod hac posteriore parte continetur, nempe suum Deo cultum atq; obedientiã præstemus. Causæ obligantes tendunt ad effectum in obligatis, & idem hic effectus causarum obligantium finis est. Creavit me Deus, redemit Christus, vocavit Spiritus &c. propterea *ut essem totus ipsius, & in regno ejus sub ipso viverem, ac servirem ei in perpetuâ justitiâ, innocentiâ & beatitudine*, inqvit in Catechismo Minore Lutherus, ex *2. Cor. 5, 15*. Ipse qvi communis omnium rerum maximè verò Theologiæ finis simpliciter ultimus esse, agnoscitur, gloria inqvam Dei, hominis officium innuit illum glorificaturi, in Theologia morali docendum. Salutis æternæ, qvam pro fine proprio respicit Theologus, potissima

potissima gloria erit, non theoretica qvædam sed practica Dei visio, qvâ Deo similes reddemur, 1. *Joh.* 3, 2. & perfectam Dei non tantùm majestatem, sed & sanctitatem ac justitiam immutabilem intuiti, in eandem imaginem, uberiore qvàm in Adamo amisimus felicitate radiantem, transformabimur. 2. *Cor.* 3, 18. *Ps.* 17, 15. Deoq; & sospitatori nostro cum cœlesti Angelorum choro omnibus viribus juge honoris ac reverentiæ obseqviũ præstabimus *Apoc.* 7, 9. 15. Qvam æternã beatitatis praxin & optatum fidei finem, non absurdè possemus Moralis Theologiæ nomine insignire. At qvia non comprehensoribus (qvos vocant scholastici) altius, quàm nostrum est, lumen nactis, sed viatoribus scribimus, & ejusmodi Theologiæ tradimus institutiones, cujus in hac vitâ usus est, missa eminentiore illâ contemplatione, non nisi ut *secundarium* prioris partis *finem*, hanc posteriorem ejusq; argumentum cõmendamus, ut talem sc. finem, qvi præter æternam hominum salutem, in hac vitâ conseqvendus, Evangelii prædicatione quæratur. Certè dilectionem puræ mentis & bonæ conscientiæ (quæ summa legis est) disertis verbis Apostolus *finem prædicationis Evangelicæ* appellat, 1. *Tim.* 1, 5. idemq; repetit, qvoties sanctitatis studia fructum spiritûs & justitiæ nominat, utpote ex doctrinâ fidei oriundum, ut *Rom.* 7, 4. *Eph.* 5, 9. *Gal.* 5, 22 Petrus autem 2. *Ep.* 1, 3. ζωὴν καὶ εὐσέβειαν ut duos distinctos fines conjungit, cum omnia qvæ ad vitam (æternam) & ad pietatem pertinent, sibi data esse in cognitione Christi profitetur; qvæ duo Paulo alibi *Rom.* 6, 22. ita distinguuntur, ut sanctificationem, *fructum*, vitam æternam vero *finem* redemptionis nostræ appellet.

§. 4. Etymon Theologia moralis, utpote complexus terminus, illinc à Deo, hinc â moribus trahit, quia agit de moribus à Deo requisitis Deoq; debitis. *Mores* sunt consvetudines

tudines ſ actiones qvas nobis fecimus familiares, unde *morale* dicitur quod ad mores pertinet. Qvâ voce linguam latinam convenienter augeri cenſuit aliquando ipſe Cicero *de fato* 1. ut illâ Græcum ἠθικὸν exprimeretur. Itaq; vi vocis idem eſt ſive moralem ſive ethicam Theologiam appelles. Terminus τῆς *moralis* apud Philoſophos freqvens eſt, non omnino eâdem ſignificatione, & modo *phyſico* opponitur, modo *intellectuali*, modò *theologico*, modò *poſitivo*: ſemper tamen cum aliquo ad mores reſpectu. Sic impoſſibile & univerſale eſt moraliter, quod pro hominũ moribus ita æſtimatur; ſic qvalitas vel potentia moralis eſt, qvæ moribus hominum conceſſa eſt aut concedenda; Cauſa moralis ex parte cauſæ, qvæ à moribus agentium æſtimatur, vel directè vel obliquè effectum intendentium; Ex parte effectûs verò, qvæ ut moribus hominum fieri ſolet, mediante perceptione vel æſtimatione patientis effectum ſortitur; Virtus & actio moralis, ut illa intellectuali, hæc phyſicæ opponitur, qvæ æſtimatur ad legem divinam mores hominum informantem; ut utraq; Theologicæ opponitur, qvæ moribus hominum poſſibilis eſt; Lex moralis, ut poſitivæ opponitur, norma rectitudinis divinæ æterna, ad qvam omnes ubiq; hominum mores æſtimantur. Ita igitur ab æſtimatione vel rei ad mores, vel morum ad normam, omne morale denominatur, neque (qvod qvibusdam placuit philoſophis) præter hanc æſtimationem nova entia fingere, qvibus rerum claſſes augeantur, aut nova moralibus prædicamenta conſtituere, neceſſe eſt.

§. 5. Definitionem Theologiæ moralis prolixam, quæ omnes ejus cauſas & affectiones complectatur, nolumus à nobis expectari, amamus enim brevitatem, qvam in definitionibus commendare ſolent Logici, neq; qvæſtioni, *qvid ſit?* ita reſpondendum eſſe cenſemus, ut qvæcunq; de re

præ-

præterea qværi possint, omnia pariter unâ oratione expediantur. Sufficit igitur nobis brevis aliqva à genere & objecto petita definitio. Nempe si Theologiam Moralem consideramus in ordine & relatione ad totum & plenum systema, rectè definitur, quòd sit *pars Theologiæ altera &c.* sin absolutè illam & citra ejusmodi relationem consideramus, definitionem talem damus: *Theologia moralis est disciplina (vel sapientia) officii nostri, ad qvod Deo obligati sumus.*

§. 6. De Genere Theologiæ, perinde ut de omnium aliarum disciplinarum definitione esse solet, magna est scholasticorum disputatio, qvàm huc repetere extra institutum nostrum est. Nomen *disciplinæ*, qvod omnibus Scriptoribus in hac qvæstione commune est, & ipsis illis mentis habitibus, de qvibus disputant, & cum disputant, passim datur, genus tamen esse communiter nolunt, qvia nempe accidit illis tantùm, qvòd doceantur. Verùm nobis videtur *disciplina* esse aptitudinis non actionis nomen, qvo exprimas potiùs qvid doceri possit atq; soleat, qvàm qvid actu doceatur. Eo autem sensu omnes artes ac scientiæ vulgò disciplinæ vocantur, qvòd compages qvædam theorematum aut conclusionum sint, in justum qvendam ordinem sive mente, sive stylo collectarum, ut aptè doceri possint. Eodẽ sensu si Thologiam Moralem accipimus, ut omnes certè disciplinas, cum de illarũ definitione in scholis disputamꝰ, accipere par est, nil obstat qvò minꝰ id esse omnes agnoscamus, qvod vulgò appellamꝰ, & sic Theologiam etiam Moralem per *disciplinam* tanqvam legitimum genus definiamus.

§. 7. Attamen si illam malumus considerare simpliciter ut perfectionem aliqvam, s. habitum mentis, citra ordinatam illam theorematum collectionem, non est qvòd anxiè desudemus in electione vel applicatione qvinq; habituum Aristotelicorum, aut illorum legibus collum subjiciamus,

qvi *illud maximum philosophiæ arcanum æstimant, qvòd res aliter significare nulli liceat, qvàm ipsi vocabula definiverunt*, ut jã olim degenerantes à rebus ad vocum altercationem philosophos notavit Claudius Ptolomæus *Tr. de Jud. facult. ex versione Bullialdi p. 9.* Dudum ostenderunt Theologi nostri nullum habitum Aristotelicum in Theologiam qvadrare, qvod argumento est, species illas habituum intellectualium in peripato definitas, omnem generis ambitum non exhaurire. Si verò vocibus uti licet, ut extra scholas communi usu, etiam ipsius Scripturæ S. probantur, facilè omnes Theologiæ Morali conveniunt, qvibus vulgò habituum istorum species distinguuntur. *Intellectum & scientiam*, ut Synonyma cum *cognitione* vocabula passim usurpare bonos auctores, & ad omnia etiam practica, qvæ menti percepta atq; certa sunt, extendere, in aprico est. *Sapientiam* Cicero 1. *Off.* 43. Rerum divinarum atq; humanarum scientiam vocat, *in qvâ continetur Deorum & hominum communitas & societas ipsorum inter ipsos*, adeoq; practicam scientiam; *Prudentiam* verò scientiam rerum expetendarum fugiendarumq;. *Artem* eorum esse inqvit, quæ sciuntur, 2. *de Orat.* 7. & ad illam alibi reqvirit, ut ex multis animi perceptionibus constet. *Conf.* 3. *de fin.* 15. Alii artem vocant, qvæ præceptis qvibusdam atq; regulis continetur; qvo sensu cum voce disciplinæ coincidit. Ita voces hæ non disparatæ ampliùs sed sibi omnes subordinatæ erunt, hoc modo, ut *intellectus* s. *scientia* vel simplex sit ve lcomposita, hæc *ars* vocetur, & vel theoretica sit vel practica, i. e. *prudentia*, quæ & iterum alia vulgaris alia eminentior, qvam *sapientiam* appellamus. Itaq; Theologia moralis qvia cognoscitur, *intellectus & scientia* est, qvia præceptis pluribus erecta, *ars*, qvia rerum expetendarum & fugiendarum, *prudentia*, qvia deniq; rerum divinarum atq; humanarum, secundùm

defini-

definitionem Ciceronianam illa, qvibus Dei hominumq; ſocietas continetur, complexa, *ſapientia* vocari debet. Sed intellectus, ſapientia, prudentia, voces ſunt qvæ cum objectis non multiplicantur, uti plurali numero ſcientias & artes vocamus; unde ſapientiam vulgo genus eſſe poſſe negant, qvia unica eſt, non multiplex. Nec magis tamen multæ prudentiæ ſunt qvàm multæ ſapientiæ, ut haud gravatè concedere debent Ariſtotelici, qvibꝫ politica atq; ethica una diſciplina eſt. Verùm voces hæ qvanqvam in rigore ſuo omnia objecta congrua complectuntur, tamen & ſecundùm illorum differentiam, qvaſi in plures partes poteſtativas diſtinguuntur, qvarum reſpectu naturam generis qvodammodo induunt. Atq; ita ut prudentiam aliam ethicam aliam politicam vocant ſcholaſtici, & has per illam definiunt, ita & nobis ſapientiam aliam myſteriorum divinorum, aliam officii noſtri agnoſcere, atq; Theologiam Moralem per ſapientiam definire, integrum erit. Sacræ literæ omnia ferè diſciplinarum & habitutũ nomina in eam cumulant *Prov.1,2.ſeqq.* Etiam in N.T. occurrit σύνεσις *Col.1,9.* φρόνησις *Eph.1,8.* In concreto Ἐπιστήμων *Jac.3,13.* præcipuè tamen ſapientiã appellant tum in ſcriptis Salomonæis paſſim tum alibi, ut *Jac.3,17. Col.3,16. Deut.4,6. Job.28,28. Pſ.110,11. &c.*

§ 8. *Objectum* Theologiæ Moralis *materiale* ſunt inclinationes, habitûs & actiones noſtræ, non tantùm illæ, qvas propriè mores vocamus & unde moralis dicitur, i.e. qvæ nobis familiares ſunt, ſed omnino omnes, qvæ legi divinæ ſubſunt, ſive freqventer ſ. rarò & fortuitò tantùm recurrentes; *Objectum formale*, eædem, qvatenus ad normam legis divinæ dirigendæ ſunt, & ſic directæ in mores vel firmum animi inſtitutum abire debent. Latinè *Officia*, vel ſingulari numero, *officium*, appellamus auctoritate Ciceronis in libris, qvos iſto nomine inſcripſit. Qvia autem officium ad varias

às leges examinari poteſt, ideoq; in definitione adjecimus, qvòd illud intelligamus, *ad qvod Deo obligati ſumus*. Qvanqvã enim in Theologia morali, etiam de illis obligationibus loqvimur, qvibus homo homini tenetur, non agimus tamen de iis, ut ab humanâ voluntate pendent, ſed ut à divinâ. Nam & ut nobis ipſis, & ut aliis, qvod fas eſt præſtemus, Deo obligamur. Sed obligatio alia erga Deum immediata eſt, ad ea, qvæ ratione ſui rectitudinem ſ. conformitatem legis divinæ habent, alia mediata, ad ea, qvæ illam rectitudinem habent tantùm ratione cauſæ ſuæ, dum nempe illa præſtanda ſunt, qvæ in arbitrium tertii aut judicium noſtrũ de variantibus rerum circumſtantiis rejecta ſunt. & ab hujus demum determinatione vim obligandi determinatam accipiunt, qvalia ſunt ea, qvæ legibus humanis tantùm jubentur aut prohibentur, autad id, qvod aliàs officii noſtri eſt, hîc & nunc reqviri cenſemus. Qvæ mediatæ obligationis ſunt, qvà talia, non ſunt directum Theologiæ Moralis objectum, ſed indirectum tantùm, quatenus in ſuâ cauſâ, ſ. immediatâ obligatione involvuntur.

§. 9. Non igitur Objectum Theologiæ Moralis, neq; hic tractanda ſunt, qvæ extra hos limites poſita in priore Theologiæ parte diſputantur & diſputari debent, de naturâ & uſu legis divinæ, de cauſâ converſionis ac bonorum operum, horumq; effectu (ut credunt adverſarii) meritorio, ſacramentis, aliisq; fidei myſteriis, ſed digreſſionibus ejusmodi ad ſuas ſedes remiſſis, præſtat non aliis lectorem detinere argumentis, qvam qvæ proprio qvodã jure ſub hoc Theologiæ Moralis titulo expectari poterant. Deinde & illorum, qvæ mediatæ tantùm obligationis eſſe diximus, particularis & diſtincta excuſſio ab hac diſciplinâ exulat, quia magis ab aliis cauſis proximis, qvàm â lege & voluntate divinâ pendent. Qvò non tantùm qvæſtiones politicæ aut oeconomi-

nomicæ de variis legibus & moribus civitatis ac familiæ, sed & rituales s. ecclesiasticæ pertinent, qvæ de Sacramentorum administratione, regimine ecclesiastico & publicorum sacrorum formâ proponi solent. Qvanquam enim rituum sacrorum consideratio potissimùm Theologo convenit, & ex naturâ rerum, qvibus adjecti sunt plerique; æstimari debent, multi etiam circa illos conscientiæ casus â Theologis passim proponuntur; qvia tamen sine prævia notitiâ canonũ & historiâ praxeos ecclesiæ, non satis luculenter determinari possunt, adeoq; modum tractandi planè alium reqvirunt, quàm illa qvæ imediatæ obligationis sunt, rectiq; ab his distincti, peculiari tractationi servantur, qvæ politica qvædam Theologica, & Theologiæ Moralis, non tam pars, qvam appendix aut conseqvens qvoddam æstimetur.

§. 10. Finis communis, ut omnium actionum ac disciplinarum, ita etiam Theologiæ moralis est gloria Dei, *1. Cor. 10, 11. Phil. 1, 11.* proprius autem vel ultimus est vel intermedius. Ultimus est præcipuè complacentia Dei, ut qvi fide Deo placemus ad salutem, etiam moribus & vitâ placeamus ad gratũ ipsi odorem *Rom. 12, 1. Thess. 4, 1. Col. 1, 10. 2. Tim. 2, 3. seq. Hebr. 13, 16. 1. Cor. 7, 32.* deinde nostri aliorumq; de vocatione nostrâ fideiqve veritate convictio, *2. Cor. 13, 5. 2. Petr. 1, 10. 1. Ep. 2, 12. c. 16. Tit. 2, 8.* intermedius est studiũ sanctitatis renovandæq; imaginis divinæ intensissimum, & ad talem gradũ ejus productio, qvalis in hac vitâ per Spiritûs S. gratiam obtineri potest, *1. Thess. 4, 1. Eph. 4, 15. Hebr. 12, 14.* Maxima enim hominis felicitas est, ut Deo fiat qvàm simillimus, neq; alius major fructus ex Deo capi potest, qvàm ut ejus in nos imaginem transferamus, divinæq; ita naturæ atq; sanctitatis participes fiamus, *2. Pet. 1, 4.* Similitudo hæc in alterâ demum vitâ plenè perfecteq; reducenda expectatur *1. Joh. 3, 2. seq.* in hac inchoatur, nulloqve certo in gradu fixa

du fixa ſenſim augetur, pro variâ gratiæ divinæ menſurâ, qvamvis ſemper imperfecta manens. Omnimodã illam cœleſtis vitæ ſanctitatem ſive qvis cauſam exemplarem, ſive finem externum qvi in artis poteſtate non eſt, nominare malit, non litigabimus de vocabulis, dummodo id certum ſit, quòd Sanctitatis ſtudio, qvantumcunq; in hac terrâ fuerit, perfectio cœleſtis beatitatis obtineri nequeat. Rectè enim omnem meriti, cauſæ, conditioniſve relationem ad ſalutem æternam à bonis operibus excludunt libri noſtri ſymbolici, & qvamvis gradûs gloriæ majores promiſerit Deus pietati impenſiùs operantibus, non illos tamen gradûs in ipſâ futuri ſeculi ſanctitate, ſed aliis potius dotibus qværendos eſſe credimus, cum de ſummâ glorioſæ ejus ſocietatis puritate aliqvid videamur delibare, ſi cives ejus alios aliis ſanctiores juſtioresqve æſtimemus. Sed qvod obtinere noſtro ſtudio non poſſumus, appetere tamen debemus, eòq; tanqvam ad finem vel terminum voti noſtri contendere, ut qvàm minimùm pro conditione mortalitatis noſtræ licet, inde abſimus. *Phil.* 3,13. *ſeq.* Obligamur enim ad perfectionem illam verbis Chriſti *Matth.* 5, 48. angelicum nobis obedientiæ gradum precamur oratione Dominicâ, *c.* 6.10. & in ſpem futuræ cum Deo ſimilitudinis nos ipſos ſanctificamus, *1. Joh.* 3,3. & jam nunc novũ hominem ſecundùm imaginem Dei creatum induimus, *Eph.* 4, 24. *Col.* 3,10. Ita licet ille non ſit finis in Theologiæ Moralis poteſtate poſitus, minùs etiam quàm perſvaſio eſt in poteſtate rhetoricæ, umbra tamen qvædam & initia ejus hîc ſuppeditat, qvibus iſtuc aſſurgamus, noſtramq; vocationem atq; electionem confirmemus, *2. Pet.* 1,10. Sed nec ipſa hæc initia ita internus artis finis ſunt, ut & in poteſtate hominis naturali qværi debeant; ſed ſicut ipſa ars divina eſt, & habitus θεόπνευστος, ceu aliàs docent Theologi, ita etiam id in

ejus

ejus potestate esse dicimus, qvod per Spiritûs S. gratiam mediante institutione obtinetur.

§. 11. Principium cognoscendi est lex divina, non tantùm ut naturaliter, sed potissimùm ut ex revelatione divinâ, sive S. Scripturâ hodie, innotescit. Non omnino eadem hîc ratio est Theologiæ moralis & aliorum Theologiæ capitũ, sicut neq; omnium articulorum fidei eadem est, qvi priore Theologiæ parte traduntur. Nam ut illi non omnes puræ fidei sunt, & â solâ revelatione supernaturali pendent, sed partim mixtæ, naturali etiam rationis lumine innotescentes, ita præillis omnibus mixtæ naturæ est morum disciplina, qvæ non ita à revelatione divinâ hauritur, qvin simul & naturali lumine magnâ partẽ cognoscatur. Non alibi apertiora supersunt imaginis divinæ vestigia, qvàm in cognitione officii nostri. Sensus ille legis naturalis ita homini firmiter innatus est, ut ex illo tanqvam notiore agnitio legis latoris Dei tanqvam obscurior vulgò eliciatur, multoq; luculentiùs observetur à gentilibus honesti ac turpis, justi & injusti differentia, qvàm ipsa Numinis existentia explicata. Etiam S. literæ communi huic hominum sensui tantùm tribuunt, ut passim non tam docere videantur virtutes, qvàm cognitas jam tum & per se notas laudare atq; commendare, *Rom.6,19. Phil. 4,8. 1.Pet.2,12. Gal.5,19. seqq. Col.3, 12. seqq.* Et omnino circa applicationem regularum moralium multa relicta esse naturali hominum intellectui ac industriæ, qvæ nullo testimonio Scripturæ S. specialiter roborata esse inveniuntur, experientia docet. Nam qvemadmodum etiam cum summa fidei mysteria proponit Spiritus S. cognitionem sensualem rerum naturalium, qvarum mentionem injicit, & naturalis logicæ usum ad conclusiones rectè formandas in lectore reqvirit, ita imprimis in qvæstionibus Moralibus præsumit cognitos connatâ homini lege

aliqvos virtutum atq; vitiorum terminos, ad qvos deinde accuratiùs delineandos præcepta partim generalia partim specialia suppeditat. Unde adeò sequitur, qvod naturale lumen à Theologo morali minimè negligendũ sit, neq; cũ de cognoscendi principio qværitur, simpliciter excludi possit.

§. 12. Attamen solum illud naturæ lumen per se non sufficit, sed variis laborat defectibus, qvos à lumine revelationis, qvod in S. Scripturâ est, explere oportet, qvemadmodum Paulus dicit *Rom.* 7,7. se concupiscentiæ vitium non agnovisse, nisi lex Mosaica illud prohibuisset. Præterea etiã lubricus ejus usus est, hominumq; studiis in diversa raptum facilè obtuscatur, ita ut conclusionibus à vero tramite passim aberraverint Philosophi, hodieq; aberrent, qvi illo solo niti volunt. Etsi enim per se verum atq; certum est, qvippe ab illo auctore profectum, qvi fallere non potest, anceps tamen redditur abusu, cum vitiis hominum optimi colores obducuntur, ut ipsi deinceps inter id, qvod recta ratio docet & animo concupiscit, distinguere nescii, aliam, qvàm qvæ Spiritûs Sancti est, conclusionem inde eliciant, cujusmodi Δλογίας in idololatris carpit Paulus *Eph.* 2, 3. *conf.* 2. *Cor.* 10, 5. Itaq; Scripturarũ S. majore lumine opus est, cui illud minus subjiciatur, & ad cujus splendorem qvicqvid tibi videris naturali ratione rectè concluisse, examines atq, corrigas. Planè qvemadmodum nauta, cum omnes regulas artis suæ solicitè adhibuit, ut ex acu magneticâ, ejusq; declinatione, venti velocitate, navigationis tempore, maris fluxu, aliisq; indiciis colligeret, ubi portum expectare oporteat, statim tamen cum lucentem à portu pharum observat, omnes potiùs damnat calculos, qvamvis ubi aberraverit nescius, qvàm evidentiam luminis in dubium vocet; & ut pueri in scholâ, cum numeros præscriptos sub duxerunt, etsi secundum artẽ infallibilem se id rectè feciisse censent

sent

sent, qvando tamen numerus qvi producitur, cum eo, qvẽ magister indicavit, non convenit, non magistrum sed se aberrasse concludunt, & tandem ubi error ille lateat indagant; Ita etiam oportet, cum Theologiæ Morali studemus, omnes qvæ videntur naturalis luminis conclusiones, ad Scripturæ oracula, tanqvam certissimam pharum & infallibile magisterium examinare, neq; Scripturam ex nostris conclusionibus, sed has ex illâ corrigere: id ubi fecerimus, facilè possumus in erroris nostri causas inqvirere, & veriora etiã rationis principia ac meliores inde demonstrationes invenire, qvàm si oculos atq; aures huic hodegetæ claudimus. Ita qvamvis suæ partes sint lumini naturæ, Scriptura S. tamen unicum manet Theologiæ etiam moralis principium, viæq; lumen *Psal.19,9. Psal.119,105.* dum ab ejus consensu omnis etiam ex altero principio petitæ conclusionis divina certitudo dependet.

§. 13. Non distinguimus igitur ethicam Philosophorum à Theologiâ Morali, nisi ut disciplinam imperfectam à perfectâ. Eædem enim virtutes sunt, qvas Philosophus qværit, & qvas Theologus perficit: sicut nec alium, Deum, qvàm qvi verus est, Theologia naturalis tradere conatur, ita nec alium ejus cultum ethica, nec aliud honestatis & justitiæ studium, qvàm qvod cum æternâ lege convenit, idemq; revelatio Scripturæ probat. Non idem qvidem lumen est, ad idem tamen tendit objectum: differt claritas, & pro ejus differentiâ & graduum & partium perfectio, at non ipsa res. Sicuti enim idem corpus est, qvod intueor & in sole & ad lucernam, qvamvis ille plus qvàm hæc in eodem detegat, contemplantemq; certiorem reddat, ita neq; principia cognoscendi distincta faciunt, ut ipsa res, qvam cognoscimus, distincta sit. Distinctio inter virtutẽ Theologicã & moralem, finem hominis supernaturalẽ & naturalẽ,

ſive bonum ſpirituale & civiliter morale, qvæ in ethicis libellis inculcari ſoler, nõ diverſas illorum ſpecies, ſed diverſos tantùm gradûs arguit. Nam præter eam v.g. juſtitiã & temperantiã, eumq; finem, qvẽ ſibi Theologia moralis propoſitum habet, nulla alia in homine juſtitia & temperantia reqviritur, neq; finis neq; bonum, qvod civiliter morale dicatur. Qvòd verò ethnicorum philoſophia eò uſq; aſſurgere neqveat, qvò Chriſtianorum poteſt, qvòd de fine ethicæ deq; ſumo bono, qvod hominum ſtudiis præ ceteris qværi oportet, ambiguè aut perperam diſputet, virtutes frigidiùs & longè inferiore gradu, qvàm decebat, laudet acdelineet, ignorantiæ illorum & cœcitati mentis tribuendum eſt: qvæ ruditas docentium non poteſt novas diſciplinarum ſpecies conſtituere. Sunt qvi methodum ipſam cauſantur, qvam lumen naturæ aliud reqvirat, qvàm lumen gratiæ, dum illud rationibus nitatur, hoc teſtimonis: ſed ſi methodi diſſimilitudo multiplicat diſciplinas, nullus erit illas numerandi finis, neq; unam docebimus Theologiam, cum theticè, polemicè, exegeticè, analyticè, ſyntheticè &c. eã tractamus. Siqvid tu in eâ re ponderis eſt, certè nec Theologiam moralem rationes negligere diximus, quibus aliud ex alio deducatur, eòq; feliciùs id præſtare, quò certiore lumine ad argumentationes rectè formandas juvatur.

§. 14. Sed & illud monendum eſt, cum de Philoſophiâ morali loqvimur, qvod monuit qvondam Clemens Alexandrinus *l.1. Strom.* qvòd omninò interſit inter philoſophiã cuiq; ſcholæ propriam, & eam qvam naturalis luminis eſſe dicimus, & ſparſa apud omnes Græciæ ſectas, nusqvam pura invenitur. Cum hodie in Academiis paſſim Ariſtotelica doctrina, ſi non ipſâ re, certè affectu & intentione magiſtrorum (ab hoc præceptore licet multivariam aberrantium) doceatur, ſæpe optima ingenia hujus magiſterii ſervitute ita premi videmus, ut Ariſtotelicum & Philoſophicum pro ſynonymis habeant. Non movemur portentoſis illis & inſanis encomiis, qvæ multi in caput Ariſtotelis congerunt, qvaſi in-

si infallibilis veritatis oraculi, omnes naturæ dotes & qvicqvid humani ingenii acies assequi potest, complexi, qvin & ad illorum numerum ipsum pertinere arbitremur, qvos Apostolus docet *ambulasse in vanitate mentis, obcœcatos ratiocinationibus, alienos à vitâ Dei per ignorantiam, qvæ in ipsis est, per cæcitatem cordis sui, Eph. 4, 18.* Neqve tanti ejus Philosophia apud veteres æstimata est, qvanti nunc, utpote contra qvam multæ leguntur non tantùm Patrum primitivæ ecclesiæ, sed & medii ac inferioris ævi scriptorum declamationes, qvas peculiari libello collegit Joh. Launoyus; multoqve plura ex Stoicis & Platonicis sententiis laudata apud illos invenimus, qvod cum Christianæ religionis regulis conveniat, qvàm ex peripateticorum scholâ. Non id agimus tamen, ut Aristotelem manibus juventutis planè excutiamus, qvi satis excussus est, dum in alienis & sat jejunis pleriqve detinentur compendiis, sed ut ostendamus, non majorem illi qvàm aliis Philosophis gentilium deberi auctoritatem, & qvæ de corrigendâ ad Theologiæ normam Philosophiâ diximus, etiam de peripateticâ, unde formata Scholasticorum ethica est, nos intellecta velle. Augustum Philosophiæ nomen non Græciæ solius nec gentilium magistrorum ambitu, nedum arctis unius magistri cancellis concluditur; naturæ lumen ut omnibus æqvo jure patet hominibus, ita alienæ voluntatis mancipium reddi non debet. Neq; est qvod gratiæ & naturæ limites confundi metuas, si Christianus à Scripturâ didicerit qvaliter ratiocinari oporteat, cum in ethnicis magistris, ad qvos ad veros naturalis luminis terminis indagandos vulgò prolabuntur, æq; prona patrii moris & gentilis superstitionis cum naturali honestate confusio, multòq; inde nocentior error timeri possit.

§. 15. Leges divinæ, qvæ ex S. Scripturis innotescunt, non unius generis sunt, aliæ enim directò omnibus hominibus datæ sunt, aliæ specialiter genti Hebrææ. Leges universales ibi qværere oportet, ubi universalis qværitur vocatio, ideoqve tum in communibus parentibus, Adamo & Noacho, unde omne hominum genus descendit, tum in promulgatione Novi Testamenti, & Apostolorum scriptis, qvi ad docendas denuo omnes gentes mittebantur. Præcepta sex Adamica & septimum Noachicum, qvæ judæi enumerant

merant, tarent certo in S. literis fundamento; esse tamen illis præter impressam naturæ legē etiam alias externâ sanctione datas, qvas ad posteros transferrent, constat non tantùm ex sacrificiis oblatis, qvæ procul dubio præceptum aliqvod habuere, sed & ex lege conjugii, ad qvam provocat Christus *Marc 10, 6. seq.* & vindicandi homicidii, vetiti sanguinis &c. *Gen. 9, 4. 6.* Extitere fortitan & aliqvæ, qvas ignoramus, sed qvas procul dubio repetiisset & ad usum revocasset Spiritus S. in S. literis, si nostra interesset illas scire. Neq; illæ omnes necessariò perpetuam habent obligationem, qvarum memoria extat; qvarum enim ratio cessat, ut sunt sacrificia typum futuræ mundo hostiæ exprimentia, illas & ipsas per se cessare oportet, nisi (qvæ hic tamen nulla est) novâ legislatoris voluntate illas continuare constet, & sic etiam si qvas fortè abrogatas esse Apostoli testantur, ex voluntate legislatoris tantùm ad tempus datas esse oportet; de qvibus singulis suo loco. In Novo Testamento nullæ qvidē vel à Christo vel ab Apostolis novæ leges datæ sunt, sed legis Mosaicæ tamen occurrunt crebræ repetitiones, explicationes & applicationes; qvæ nec ipsæ omnes unius naturæ sunt. Alia enim absolutè, alia pro certis circumstantiis, sive personarū, sive rerū dicta sunt, ultra qvas torqveri non debent: & de personis qvidam nota est regula, qvòd qvædam à Christo dicta sint Apostolis qvà apostolis, qvædam qvà doctoribus ecclesiæ, qvædam qvà fidelibus. Qvale autem unumqvodqve sit, ex ipso textu & naturâ rei dijudicandum est: nam si ita comparata res est, ut non nisi in certi ordinis aut ætatis homines conveniat, etiam illos solos ad eam obligari dicendum est, ubi autem æq; in omnibus locum habet, nec qvicqvam limitat Scriptura S. neq; nostrum est restrictiones aliqvas adjicere, sed obligationem potiùs universalem agnoscere.

§. 16. Leges Mosaicas, qvæ specialiter Hebræo populo latæ sunt, etiam in triplici differentiâ esse, ut aliæ morales sint, aliæ ceremoniales, aliæ politicæ, vulgatum est. Distinctio etiam ab ipsâ re petitur, dum morales vocantur, qvæ radicantur in lege honestatis naturalis, ceremoniales, quæ ad ritûs cultûs divini typicos pertinent, politicæ, qvæ occupantur in politiæ judaicæ administ-

miniſtratione externâ. Has ceſſare conſtat cum ipſâ politiâ, cujus circumſtantiis innexæ erant, illius generis omnia, poſtqvam Chriſtus ipſe venit, cujus umbræ erant, nunc abrogata eſſe, Paulus *Col. 2, 16. ſeqq.* & alibi docet; iſta verò & naturalis ratio & repetitio N.T. etiam ad nos pertinere comprobat. Sed & leges qvædam Moſaicæ mixtam naturam habent, dum moralibus quandoq; determinatio qvædam arbitraria adjicitur ſive ceremonialis ſive merè forenſis & politica, & ceremonialibus ac forenſibus itidem aliqva moralis ratio implicatur. In illis facile eſt reſcindere id, qvod hodie locum non invenit: in his autem diligenti mentis examine opus eſt, qvalem ea res hodieqve in ſimili vel analogo qvodam caſu uſum habere poſſit, ut actiones generali obligationi ſubjectæ & ad certam rationem ex rerum circumſtantiis à nobis dirigendæ qvàm optimè ſecundùm voluntatem divinam dirigantur. Ita v. g. eleemoſynarum diſtributio, qvarum qvantitas à nobis determinanda eſt, optimè determinatur, ſi qvæ Judæis qvondam in V. T. ad illarum menſuram pertinentia leguntur præcepta, ad animum revocemus. &c.

§. 17. Eandem qvoqve utilitatem præſtant nobis exempla ſanctorum in S. literis enarrata, qvæ intueri jubemur ſæpiùs, *Phil. 3, 17. 2. Theſſ. 3, 9. Hebr. 13, 7. Jac. 5, 10. &c.* Chriſti qvidem vita omnis nobis perpetua imitationis lex eſt, niſi qvando præſtitit qvod ſuo tantùm tempore & perſonâ dignum erat; qvod iterum ex ipſa rei naturâ dijudicandum eſt: aliorum autem hominum ita intueri oportet exempla, ut ad legem divinam examinemus, & qvando inde fluunt, maximè verò cum in S. literis laudantur, accipienda ſunt, cum verò invenimus pro fragilitate humanâ, qvæ à lege Dei diſcrepant eiq; repugnant, qvamvis diſertè non inveniantur in S. codice improbata, inde abſtinendum eſt. Non enim virtutis tantùm ſed & vitiorum exempla in ſanctorum hiſtoriâ habemus.

§. 18. Principio hoc cognoſcendi proprio non minùs qvàm objecto formali & fine differt Theologia moralis ab omnibus aliis diſciplinis practicis. Qvamvis enim, qvod ad principium attinet, omnes debeant actiones hominum legi divinæ confor-

niter regere, & ipsis quoqve illarum cultoribus divina lex præscripta sit, quâ obligantur quisq; in artis suæ tractatione, ille tamen habitus, quo sui hanc obligationem cognoscunt, Theologicus est, non suis disciplinis proprius. Audiri enim ubiqve debet hæc practicarum disciplinarum regina, ejusq; qvædam regula præsupponi, cum in aliis occupatus es, neqve tamen illarum pars est, aut illas partes sui agnoscit. Quod ad objectum & finem attinet, videtur quidem civilis jurisprudentia cum Theologiâ morali coincidere, quam Tribonianus per *divinarum atq; humanarum rerum notitiam* definit, & quam etiam ad universalem justitiam, & justitiam primam contendere quidam JCti non abs re docent, cum de omnibus virtutibus leges possint soleantq; præscribi. Quod idem fortè & de politicâ valet, quæ cum jurisprudentiâ ita connexa est, ut alii illam hujus, alii hanc illius partem faciant. Sed differt omnino ratio formalis & in objecto & in fine harum disciplinarum, ne cum iis quæ Theologiæ moralis sunt, coincidant. Agant sanè & de rebus divinis, & de actionibus lege divinâ præscriptis, sanctitatemqve quandam seu justitiam universalem respiciant & intendant; agunt tamen de illis, & ad finem hunc suum respiciunt in aliqvo minore gradu, nempe quatenus illa actionum rectitudo ad civilem societatem prodest: ad qvam cum non opus sit summo illo sanctitatis apice, quem sibi Theologia moralis semper præfixum habet, neqve tali ejus conatu atque studio, qualem nostra disciplina promovet, palam est quòd nec in illis multùm occupentur, quæ hic sigillatim discutiuntur. Quæ verò assumunt à Theologia morali non ut & ipsæ explicent, assumunt, sed ut explicata promoveant, illorumque observationem novis fulciant sepimentis, si rectè officio funguntur. Inde fit, ut jurisprudentia ac politica judicem, principem, consiliarum magis instituant, Theologia moralis verò, animos magis singulorum civium: illæ doceant vel sententiam inter partes dicere, vel obnitentes cogere aut mulcire, hæc verò ut qvisque non tam alieni quàm sui facti, suæq; de quâ disceptat causæ, sicut ejus apud se sibi conscius est, judex esse debeat. Deinde cum ad societatem civilem commodè regendã

gendam plura requirantur, quàm quæ divinis legibus determinata sunt, etiam in pluribus quæstionibus politicos & JCtos occupari necesse est, qvàm quarum in Theologo morali notitia requiritur.

§. 18. Enata autem est nostro seculo, divisarum disciplinarum ferace, peculiaris quædam disciplina, quam *juris naturæ & gentium* appellant, Grotii præcipuè, ut videtur, æmulatione provocata, qui quamvis opus suum magnam partem Theologis moralibus pontificiorum debeat, quorum disputationes pro singulari quâ pollebat eruditione Philologicâ, multis historiarum exemplis illustravit, quia tamen Politicorum & JCtorum usui insigniter id accommodaverat, peculiarem ipsis Philosophiam scripsisse videbatur. Si fertiliores rerum fuissent libelli ethici, qui in scholis terebantur, non tantam fortè reperisset nova disciplina sui admirationem. Nihil enim in illâ, quatenus jus naturæ persequitur, invenimus, quod non conveniat ethicæ seu Theologiæ morali, nisi illud fortè, quòd infra hujus dignitatem sit, regulas generales justitiæ commutativæ & distributivæ ad varios qvæstûs & aucupia hominum nimis solicitè applicare, quas JCtorum partes in opere illo quandoque arripuit Grotius, et qui in illum comentati sunt. Gentium jus quid sit, disputant, non malè tamen sequimur hypothesin Grotii, si de pactis quibusdam sive expresse sive tacitè inter gentes erectis id explicemus, quorum observantiâ illis mutuò jus peperit. Illorum verò enarratio si peculiaris disciplinæ materiam facere potest, non invidemus illi nomen. Interim nostrum putamus, pleraque illa, quæ in ejus nominis libris hactenus tractantur, nostræ huic disciplinæ non erepta velle.

§. 19. Pertinet autem Theologia moralis ad omnes omnino homines & idonei ejus auditores sunt, qui Spiritui S. non repugnant malitiosâ proterviâ, sive juvenes sive senes *Prov. 1, 4. seq.* & eò magis pueri ac adolescentes, quò magis illi plerumque flexiles sunt, nec dum ad malitiam animum obfirmarunt. Ita & juventutem ad eam audiendam advocat Salomo passim, & Johannes *1. ep. 2, 13. seq.* Aliud quòd Græcis quibusdam philosophis & impri-

primis Aristoteli visum sit, mirum non est, utpote quibus vera methodus verumq; medium deerat, timorem Dei hominibus incutiendi, quiq; ipsi longè alio fine atq; animo ad has disputationes veniebant, quàm qui convincendis juvenum animis par erat.

§. 20. Methodum in disciplinis practicis commendant vulgò analyticam Philosophi qvamvis vix usquā purè servent. Theologi nostrates in hac disciplinâ plerumque ordinem decalogi sequuntur. Nobis quidem omnis methodus placet, quæ talis est, ut præcedentia sine seqventibus intelligi possint, neq; confusione rerum animi distrahantur, visum tamen est pro instituto nostro illam sequi, quæ à Philosophorū regulâ non multum recedit. Mathematicam demonstrandi methodum nuperè quidam in moralem disciplinam inferre laborarunt, & imprimis famosus ac post hominum memoriam audacissimus atheismi doctor Spinosa, nullâ aliâ in re felicior, quàm ut suo exemplo ostenderet, quantopere cuivis insaniæ involvendæ hoc pallium aptum sit, atque adeò vana sit de illius methodi infallibili evidentiâ communis persvasio. Etenim mathematicarum disciplinarum & imprimis geometriæ evidentia non ab illo, qvo utuntur, proponendi modo, sed à sensibus pendet oculorum, quibus pictura ita objicitur, ut institutio nullâ æquivocatione ludere possit, quæ plerorumque aliàs errorum mater est. Schemata illa ubi absunt, æquè facilè, imò faciliùs inter operosas tautologias (quarum necessitatem geometris imperat figurarum difficultas) decipit & decipitur terminorum abusu demonstrator, quàm si simplice & plano stylo usus esset. Interim quamvis mathematicæ demonstrationes sint evidentiores, dum in oculos incurrunt, nihilo tamen veriores aut firmiores sunt ethicis, ubi ex veris rectisque principiis feliciores conclusiones dari, quam ex falsis Hobbesiani & alii geometricæ methodi laudatores se putarunt invenisse, experientia meditantem docebit. Applicatio quidem regularum moralium ad praxim sæpe difficilis & ambigua est, sed in eâ re neque mathematici habent, de quo glorientur, quibus non minor difficultas est, rectū in qvavis materiâ struere triangulum, aut potentiam determinare hypothenusæ, quàm ethicis justos in quovis casu castitatis aut justitiæ terminos servare.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746160089/phys_0036
DFG

CAPUT II.
DE SANCTITATE & PERFECTIONE CHRISTIANA.

§. I.

EXternum Theologiæ moralis finem, qvem obtinere qvidem in hac vitâ neqvimus, ut exemplar tamen aliquod & voti terminum intuemur, vocari posse sanctitatem perfectam, superiore capite concessimus. Qvemadmodum igitur illam semper ob oculos habere debet, qui secundùm disciplinam nostram operatur, ita nos qvoque eandem ante omnia contemplari decet, cum qvibus ad illam gradibus ascendatur, docemus. Neq; enim conatus unqvam justus aut studium sanctitatis sedulum erit, si ipsum illum apicem, ad qvem propiùs accedere conamur, qvàm altè positus sit, ignoremus. Resp. M. Joh. Jacobo Stolterfoht.

§. 2. Sanctitatis nomen apud Latinos scriptores æqvivocum est, & immunitatem notat vel ab injuriâ vel à culpâ, atq; ita *sanctus* aliquando dicitur, qvi intemerabilis est alienâ manu, voce vel animo ipso, aliqvando qvi integer moribus, nullâq; labe temeratus: illo sensu legati, muri, portæ, & res aliæ sanctæ vocantur, hoc verò tum homines tum illorum virtutes, amor, amicitia &c. ut prostant in lexicis exempla, stylo Biblico posterior sensus magis obtinet, ita tamen ut qvandoq; etiam sanctitas non morali, sed civili tantùm aut ceremoniali impuritati opponatur, ut *Levit. XVI. 20.* atq; ita conjuges fidelium infideles, & ex tali matrimonio susceptí liberi sancti vocantur *1. Cor. VII. 14.* ne Christianorum familiaritate videantur indigni. Complectitur hæc vox etiam res sacras seu Deo dedicatas, qvamvis JCti illas à sanctis distinguant; ita qvi

voto tenetur sanctus est *Num. VI. 5.* altare sanctum est & qvicqvid altare attigerit *Exod. XXIX. 37. &c.* Nos h. l. sanctitatem illam intelligimus, qvâ qvis ab omni labe animi s. culpâ immunis est, eamq; non imputatam, cujus nos effectu forensi tantùm fruimur, qvæ consideratur in articulo justificationis, sed inhærentem. Hæc cum & de Deo & & de rebus creatis dicitur, ad communia πρὸς ἓν, ut vocantur Aristoteli, referenda est. Radicaliter enim & primariò Deo competit, qui fons omnis integritatis est, suâq; essentiâ ab omni labe immunis, sibiq; exactissimè concors: Angeli autem & homines non nisi à relatione ad integerrimam hanc Dei essentiam atq; voluntatem sancti appellantur, dum ad illam semper tanqvam regulam in agendo attendunt, neq; ullâ ratione inde deflectunt. In his iterum vel actualiter accipitur, cum actiones, vel habitualiter cum agentia ipsa denominat; nam sanctorum (habitualiter) hominum sanctæ (actualiter) sunt actiones. Atqve ita *sanctitas* hominis non est nisi talis ejus *qvalitas, qvâ fit ut omnes actiones ejus voluntati divinæ exactissimè respondeant.* Convenientiam autem actionum intelligimus non qvamvis, qvalis est in rebus physicis, objecti sciti aut voliti ad scientiam aut voluntatem divinam, sed eam, qvæ fluit ab agnitione voluntatis Divinæ vel habituali vel actuali. Qvæ causa est qvòd sanctitas nulla cadat in bruta animantia, qvibus ea vis divinitus data non est, ut voluntatem Creatoris distincto conceptu agnoscere, & secundùm hanc normam actiones suas regere possint.

§. 3. Ad perfectam igitur sanctitatem reqviritur habitualis *perfectio omnium* (1.) *partium subjectivarum*, ut omnibus facultatibus animi atq; corporis, qvæ actiones respiciunt, intellectu, voluntate, sensibus, appetitu, locomotivâ, vel qvibuscunq; nominibus quis illas distinguere velit,

homo

homo se ad legem Divinam componat, qvemadmodum Paulus totum corpus *Rom. XII.* 1. & omnia membra *c. VI.* 13. Deo, non minùs qvàm cor seu animum Salomo *Prov. XXIII.* 26. dare jubet. (2.) *partium objectivarum*, ut in omnibus actionibus, & in omnibus rebus, circa qvas actiones nostræ occupantur aut occupari debent, exactissima illa cum voluntate Dei conformitas observetur, sive illæ parvi sive magni momenti esse videantur. Nam omnia qvæ facimus ad hanc regulam revocantur *1. Cor. X. 31. Col. III.* 17. & ad omnia bona opera vocamur *c. I.* 10. & erga omnes *1. Tess. V.* 15. (3.) *graduum intensionis*, ut penitus totis agendi viribus, & habituali omnigenâ inclinatione eò feramur, qvò voluntati divinæ satisfiat, ita toto animo, totâ mente omniq; conatu Deum amare jubemur *Deut. VI.* 5. *Matth. XXII.* 37. & ἀκριβῶς accuratè ambulare *Eph. V.* 15. (4.) *graduum extensionis*, ne ullo loco vel tempore qvantumvis adverso exactissima illa conformitas remittatur, sicut scriptum est, nunqvam excidere charitatem *1. Cor. XIII.* 8. Semper bonum perseqvi *1. Tess. V.* 15. semper in operibus bonis abundare, nunqvam inde dimoveri oportet *1. Cor. XV.* 58. neq; unqvam à probitate desistere, juxta propositum Jobi *c. XXVII.* 6.

§. 4. Perfectio illa partium subjectivarum non est tantùm æstimanda in singulis facultatibus hominis seorsim consideratis, sed & in illarum ad se invicem relatione, ut intellectui tanqvam agendi principio voluntas, & voluntati sensuum ac membrorum motûs qvàm exactissimè subjiciantur sine ullâ luctâ contrariæ inclinationis & appetitûs. Primùm enim qvia ab agnitione voluntatis Divinæ omnes hominis sancti actiones fluere debent, utiq; nisi agnitio ejus in intellectu recta atq; certa saltim habitualis præcedat, nullus alterius facultatis motus, qvantumvis per se legi divinæ congruus, verus sanctitatis effectus

dici potest. Deinde qvæq; qvidem potentia eò perfectior est, quò ad plura se extendit & ipsi sensûs qvò perfectiores sunt, eò faciliùs ab objectis moventur; at illi motûs tamen in recto ordine naturæ, rectâq; hominis conditione, deferunt tantùm objecta ad intellectum, ejusq; de rebus perceptis imperium expectant, non subito brutove impetu in corpus animumue agunt, ne ad id quidem movendo, qvod officium hominis circa hæc objecta reqvirit: i.e. non faciunt ut homo aut timenda timeat, aut speranda speret, aut appetenda appetat, nisi postqvam intellexerit maturo judicio, timenda illa, speranda atq; appetenda esse. Interim citum illud est intellectûs imperium, ceu ipsum sanctitatis nomen promtitudinem habitualem significat, qvâ subitò ut percipit sensuum objecta, etiam de illis statuit, qvi secundùm virtutem perfectam agit, neq; longâ indiget ambage deliberationis. Ubi tanta partium atq; agendi principiorum symmetria obtinet, magis abest, ut sensus qvibusvis etiam illicitis rebus delectetur, qvæ suâ se svavitate hominibus commendant; qvod multi necessarium putant, qvi pugnam rationis & sensûs naturalem esse perperam autumant. Qvod si confirmatum viri gravis judicium facere potest, ne levibus crepundiis qvicqvam moveatur, qvibus pueri vehementer delectantur, si imaginatio febrilis, ut id nauseæ sit, qvod antea vehementer placuerat, multò certè castior erit sanctitas perfectæ symmetriæ, ne qvam cieant intellectui pugnam sensûs, aut his svave videatur, qvod ille secundùm legẽ divinam damnat. Ita neq; aspectus arboris fructûsq; vetiti Evæ matri nostræ placuit, nisi postqvam dolis serpentinis jam irretita erat *Gen. III, 6.* qvæ ante in eo svavitatẽ nullam observaverat.

§. 5. Perfectio partium objectivarum involvit non tantùm rectitudinem actionum omnium susceptarum

tum

rum, sed etiam integritatem obedientiæ in omnibus suscipiendis, qvæ suscipiendæ sunt. Non enim qvalitatem tantùm actionum, sed & ipsum agendi exercitium determinat lex divina, sive imperando, sive prohibendo. Ubi animum hominis perfectè sanctiita habitualiter comparatum esse oportet, ut neq; agat vel agere velit, nisi qvod lex permittit, neq; omittat vel omittere velit, qvod illa jubet. Cum enim omnes res creatæ, qvæ à naturalibus causis moventur, secundùm leges Dei naturales s. naturæ inditas moveantur, neq; fistula sonum edat aut sistat, nisi ut illabens aut recedens ventus cogit, certè & nos, qvorum λογικὴ λατρεία est *Rom. XII.* 1. dum mediante intellectu regimur, ita regi oportet, ut neq; actio neq; actionis omissio à nobis expectetur, nisi ad nutum legis divinæ moralis. Id qvod suorum militũ exemplo aliqvo modo adumbrat Centurio *Luc. VII.* 8.

§. 6. Graduum perfectio tam intensiva qvàm extensiva efficit, ut perpetuâ cum voluptate animi hæc legis conformitas observetur, nihilq; homini tam svave sit qvàm secundùm hanc regulam agere, nihil tam ingratum qvàm de ejus neglectione vel cogitare. Eqvidem omnem laboris difficultatem, tædium ac virium lassitudinem tollit etiam nunc voluptas animi in aliqvâ re præ ceteris occupati, etiam peccator ut suis fruatur cupiditatibus, omne periculum longasq; molestias lubens subit: millenæ furis ad thesaurum, proci ad amicam viæ sunt, ubi qvamvis variis objectus affectuum fluctibus nil molestum putat qvo finem suam obtineat: qvid non posse censemus in homine recto, nullâq; mentis turbatione distracto, constantiam amoris Divini ad omnes facilè scopulos superandos, obedientiamq; ut suo ingenio conformem, ita semper svavem æstimandam? Invidiam esse censet homo atheus cum serpente antiqvo *Gen. III.* 5. qvæ nostræ voluptati terminos po-

ponit; aſt qvi in Deo ipſo ejusq; imitatione ſummum ſibi bonum poſitum eſſe intelligit, amorem & beneficium ejus interpretatur, qvòd has lineas ſibi tranſilire non liceat, ultra quas nihil qvòd ſe delectet inveniri novit. *vid Deut. IV. 7. ſq. Pſ. CXLVII. 19.* ita gaudium bonæ conſcientiæ animiq; vera tranqvillitas, qvæ fructus ſanctitatis eſſe dicitur, immanens ejus fructus eſt, ipſe qvoq; ſanctitatis pars, & ad integritatem ejus pertinens, qvia ut in Deo ita etiam in ſui cum illo conformitate, geſtâq; divinâ imagine, omnem debet amorem votiq; finem vertere, qvi ſanctitatem perfectam habet. Ipſa ſui eſt pulcherrima merces. conf. *Pſ. XIX. 8. ſeq. Pſ. LXXIII. 25. & 28. Pſ. LXXXIV. totus. Pſ. CXIX. 72. & 162. &c.*

§. 7. Philoſophi Græci, & qvi illos ſeqvuntur, cum de ſupremo ethicæ fine qværunt, de ſumo bono qværunt, variisq; diſtracti ſententiis inter id, qvod honeſtum, utile, & jucundum vocatur, comparationem inſtituunt, qvodnam horum majus bonum ſit: ipſum autem bonum qvid ſit, Ariſtoteles definit ab appetibilitate, qvòd *bonum ſit, qvod omnia appetunt.* Sed hæc definitio non niſi jucundi boni eſt: neq; enim omnia qvod honeſtum vel qvod utile ſibi æſtimant, appetunt, ſed qvod ſuave ac jucundum, ſive abſolutè ſive comparatè, ita ut nulla utilitas æſtimetur niſi à fine, qvem obtinere delectat, neq; virtus ipſa vel à viro probo appetatur, niſi eâ delectetur. Id enim eſt, qvod dicitur vulgò, voluntatem non poſſe ferri niſi in bonum, id eſt, niſi in id quod placet gratumq; eſt: quo ſenſu ſi & Epicurus voluptatem laudavit, ut auctores volunt, nil dixit, quòd non cum Ariſtotelicâ definitione boni conveniat. Igitur cum de ſummo bono quæritur, aut id quæritur, utrum virtus virtutisve exercitium an aliqvid aliud majore atq; conſtantiore hominem delectatione afficiat, aut omni-

mnino nullum ejus qvæstionis, qvæ omnes Philosophorum cathedras occupat, sensum capimus. Oportet enim ante omnia in definitione prædicati convenire illos, qvi cui subjecto id potissimum aptari debeat, disqvirunt: & qvæstio hæc in ethicam propterea illapsa esse videtur, qvòd de legis vinculo securi ethnici, virtutem non alio nomine commendarint qvàm qvòd delectat, aut ad res alias, qvibus delectamur, commodum afferat, perinde ut qvi hodie jus naturæ à commodo socialis vitæ accersunt. Qvi bonum id esse dicunt, qvod conveniens est vel felicitatem affert, nihilo magis perspicuè loqvuntur, dum unde illam vel convenientiam vel felicitatem æstimari velint, non exponunt. In eo igitur sensu, qvem sumimus, qvæstionem rectè pro sanctitate definiri, ex superiore paragrapho jam constat. Inter plura alia enim qvæ delectant, illud demum optimum est, qvod nec à majore aliâ delectatione nos excludit, neq; graviorem post se dolorem trahit. Omnis verò à peccato voluptas, ita comparata est, ut ejus acerbus posterior effectus priorem dulcem infinities superet, *Prov. V. 3. seq. c. IX. 17. seq. c. XXIII. 31. seq.* imò in viro perfecto penitus excludat, dum is rei vetitæ nullâ suavitate affici potest. Qvo sensu verum est, quod dicunt Stoici, *nihil bonum esse, nisi qvod honestum.* Delectatio autem, qvæ in rebus adiaphoris habetur, nec summa nec constans est, cum ad interiora animi non penetret, aut veram illi tranqvillitatem afferat. Sola igitur morum sanctitas est, in qvâ perfectam & perpetuam delectationem vir bonus invenit, summumq; adeo, id est potissimum hominis bonum subjectivum, unde alia omnia propullulant: qvemadmodũ Deum, cujus in sanctitate illâ imago est, summum nobis bonum objectivum esse, rectè dicimus.

§. 8. Inanem hîc Stoicis qvæstionem movent qvi peri-

peripateticos sequuntur, cum non in habitu, sed in actu atq; exercitio virtutis summum bonum collocari debere contendunt. Habitus enim cum laudatur, ab actionibus inde emanantibus abstrahi non debet, ut neq; sol à radiis lucis, qvi inde progrediuntur, neq; actio virtutis sine habitu unde progreditur considerari. Qvod si tamen distinguere hæc duo utcunq; velis, nudumq; inter se & habitū & actionē comparare, actio immamens qvicqvid in homine producit habitu minor est, transiens verò qvia extra hominē est, neq; meliorem eum reddere, neq; felicitatem agenti veram afferre potest, sicut neq; à fortuito jactu imperitus jaculator multùm laudatur. Prodest aliis vir sanctus bonis operibus, sibi ipsi magis habitu, & ab operibus laudatur, qvia habitûs sunt indicia, non qvia habitu potiora Præstat actio, qvando habitus unicè propter actionem est, nec ambo nisi ob finem, qvi actionibus obtinetur, expetuntur; at sanctitas habitualis etiam propter se ipsam placet, qvia non actiones tantùm sed & agentes ipsos Deus vult esse rectos. Leve est qvod de dormiente aut phrenetico objiciunt peripatetici, cujus stante eodem habitu minor felicitas sit cum ab operationibus bonis vacat. Nam summum, id est, potissimum qvi bonum possidet, potest accessione aliqvâ fructuq; ejus & carere augeri per intervalla. Præterea in perfectæ sanctitatis statu nec morbis locus est, neq; alii omnium bonarum actionū impedimento. Qvàm necessariò lumen extinguitur, cum radios spargere desinit, & fons scaturiens, cum aqvæ non ampliùs emanant, tam etiam necessariò desineret habitualis sanctitas, si nullæ inde pullularent sanctæ actiones. Nam si ipsa fides, qvæ operibus non proditur, extincta est, *Jac. II. 12. 26.* qvanto magis sanctitas inhærens? Utrumq; igitur complecti debemus radicem & fructum, cum de habituali sancti-

sanctitate loqvimur, neq; alterum ab altero separare: & frustra fingitur in hac disputatione qvod nunqvàm invenitur. Unde illam ne verbo tetigissemus, nisi nimis ubiq; prostans, ut objectus viæ scopulus, naviculæ nostræ visa esset imminere, ne sine allisione illam transilire liceret.

§. 9. Qvicqvid igitur ab omni hac perfectione ullo modo deficit, peccatum est. Cujus enim forma omnem partium & graduum combinationem complectitur, id nullius patitur jacturam. Qvi totam legem servat, & vel in unâ ejus parte labitur, totius reus est, secundùm *Jacobum c. II, 20.* Scilicet ita ut maledictionem toti legi divinæ annexam in se devolvat, qvæ scripta legitur *Deut. XXVII. 26. maledictus qui non omnia verba hujus legis observat.* Non valet apud Deum qvod in civili societate obtinet, ubi *minima non curat prætor.* Qvantilla macula animi sit, macula tamen est, qvæ oculis Dei ad intima animi penetrantis statim observatur, *Hebr. IV. 13. Prov. XXIV, 12.* & ad instar fermenti totam massam inficit, qvod Pauli in alio casu simile est, 1. *Cor. V. 6.* Nihil levitate suâ excusabile esse docet verbum Christi, qvo ne minimum qvidem legis præceptum solvi, aut homines ita doceri vult, *Matth. VI, 19.* Qvare concludimus, necessariò omnem hominem aut perfectè sanctum, aut peccatorẽ esse, neq; dari posse aliqvem intermedium & abstractum statum, qvalem in Adamo Arminiani & alii plures fingunt, qvi nec justus nec injustus sit. Mentis qvidem illa potest esse abstractio, qvâ contradictoriorum neutrum ingreditur conceptum essentialem aut genericum, at in ipsâ re fieri neqvit qvin alterutrum sit, qvin homo aut purus aut impurus, aut perfectè sanctus aut peccator sit.

§. 10. Unde seqvitur, puræ & perfectæ sanctitatis in creatâ naturâ non dari gradûs nisi accidentales, qvatenus nempe vel firmiùs radicata est, ne illâ excidere qvis

possit, sicut differt status cœlestis beatitatis à statu paradisaico, vel ad plura & majora qvis agenda aut intelligenda divinitus capax redditus est qvàm alter, qvali gratiâ differunt Angeli ab hominibus etiam ut in statu integro considerati, vel deniqve qvatenus pluribus vel paucioribus præceptis divinis obedientia alicujus exercetur. Duobus his modis non tam ipsa sanctitas qvàm ejus exercitium majus minusve redditur, illo verò sanctitas non major fit sed certior. Nam perfectio sanctitatis objectiva extenditur ad actiones nobis competentes, non ad illas à qvibus voluntate Dei excludimur, & perfectio extensiva interruptionem actualem excludit, non interruptionis possibilitatem. Imò nec sanctitas hodierna pendet à futurâ, ut inde hodie minor sit qvòd cras peritura sit, nisi ipsa animi rectitudo tam sit langvida, ne suâ naturâ diu durare aut multa sustinere possit. Si verò perfecta est hæc rectitudo, qvamdiu est, omnino eadem est, sive major sive minor negotiorum ambitus agendive diuturnitas alicui concessa sit, sicut circuli magni non major qvàm parvi perfectio est. Ad ambitum tamen felicitatis hæ circumstantiæ pertinent, dum fieri neqvit, qvin augeatur gaudium ejus qvi plura agit ad obseqvium DEO probandum, ejusq; honorem latè celebrandum, minus gaudeat, qvem casus impedit ad id qvod voluit bonum promovendum. Atq; ita beatiores sunt cœlites homine in Paradiso constituto, etsi non sanctiores formaliter.

§. 11. Nec potest sanctitas peccare in excessu, cum ipsâ perfectione nihil sit superius. Nemo potest vel ad voluntatem Dei nimis accuratè attendere vel eam normam acriùs aut diligentiùs seqvi qvàm par est, qvia qvicqvid ejus fieri potest, omne ad rectitudinem reqviritur. Fieri tamen potest, & sæpe accidit, ut opinione servandæ sanctita-

ctitatis qvis labatur, ea pro præceptis Divinis obſervando qvæ non ſunt, eòq; progrediendo, qvò progredi non debebat, qvo caſu deficit à perfectione tum intellectus, voluntatem Dei non rectè cognoſcens, tum voluntas intellectum malè antevertens, ut homo à normâ ſuâ, qvàm ſeqvi ſe opinatur, aberret: qvalem in judæis imprudentem zelum carpit Apoſtolus *Rom. X. 2.* Objici plerumq; ſolet id qvod legitur *Eccleſ. VII. 16. ne ſis nimis juſtus neq; nimis ſapiens*: ſed ejus loci ſenſus apertus eſt, qvòd non de veritate ibi, ſed de opinione, inaniq; juſtitiæ ac ſapientiæ perſvaſione loqvatur Salomon. Continetur enim ibi reſponſio ad verſum præcedentem, qvo dictum erat, juſtos in juſtitiâ ſuâ ſæpe perire, pravos verò in impietate diu florere; qvâ in re monet ne culpemus judicia Dei, aut de juſtitiâ noſtrâ nimis confiſi, nobis melius fatum deberi imaginemur, vel ſapientiores nos putemus, qvi rectiùs Deo, qvid fieri oporteat, intelligamus. Qvippe prius comma de nimiâ juſtitiâ omnino eodem ſenſu explicandum eſt, qvo poſterius de nimiâ ſapientiâ; hoc autem non niſi de illâ loqvi qvam qvis ſibi ipſi tribuit, conſtat ex verbo conjugationis Hithpaël התחכם אל qvòd reciprocum ſenſum habet, *ne ſapientem te facias* ſ. ſapientiam tibi arroges; ideoq; nec illud de aliâ juſtitiâ agit qvàm de eâ, qvam qvis ſibi ultra qvàm verum eſt, arrogat.

§. 12. Sanctitas hæc, qvatenus ſecundùm objecta formalia particulariter diſtinguitur, in plures ſe diffundit virtutes morales, qvarum ipſa omnium continet complexum. Nam intellectuales, qvæ dicuntur Ariſtoteli, virtutes ſi ad legem Dei ejusq; obſervationem non diriguntur, neq; omnino ſub ſanctitatis nomine comprehenduntur, ſi verò ad illam pertinent & ipſæ morales, ac ſanctitatis habitualis pars ſunt. Eſt igitur virtus moralis habi-

habitus intelligentis ad certi generis actiones voluntati divinæ exactè conformandas. Otiosa qvæstio est, ut plures aliæ, qvam movet Thomas Aqvinas *1.2. q. 60.* utrum una sit virtus moralis an plures? Distinctio enim illa arbitraria est, neq; tam à certâ ratione qvàm ab usu loqvendi pendet, & dummodo rerum vocabula sine confusione certa sint, perinde est, sive plures virtutes sive plures unius virtutis partes agnoscamus. Illud verò certum est, tam arctum esse omnium actionum inter se & cum suo principio nexum, ut nulla possit penitus recta atq; sancta esse, nisi procedat à perfecto sanctitatis habitu, & sic ab eo fonte, unde omnes omnino actiones rectè fluunt. Nisi enim propositum agendi secundùm voluntatem Dei sit universale, purum non est in ullâ actione, sed ab alienâ magis causâ stimulatur, & luxatâ semel moralium agendi principiorum rectitudine, vitium omnibus, qvæ inde fluunt, actionibus imprimitur. Ideoq; nulla virtus perfecta esse potest, ubi aliqva deest. Illa causa est, qvòd non tantùm nulla in ethnicis hominibus opera verè bona agnoscant Theologi, secundùm *Matth. VII. 18. Tit. I. 15.* sed & renatũ in omni opere bono peccare doceant, secundùm *Eccles. VII. 21. Esa. LXIV. 6.*

§. 13. Virtutem in mediocritate ponit Aristoteles, qvod Grotio & aliis displicet, qvia aliis virtutibus nulli defectûs, aliis nulli excessûs videntur opponi posse; imò cum sanctitatem nullo excessu peccare posse diximus, nec virtutem omnino ullam posse seqvitur, qvippe qvæ omnes sanctitatis partes sunt. Sed agnoscit ipse Aristoteles *2. eth. 6.* ubi definitionem virtutis proponit, non omnes actiones atq; affectûs mediocritatem admittere, sed alios suâ naturâ malos esse, alios bonos: atq; ita certum est, neminem vel mediocriter impudentem, invidum, negligentem, furem &c. esse debere, neminem etiam nimis justum vel tempe-

temperantem esse posse. Non igitur mediocritatem ipsius mediocritatis, neq; excessûs aut defectûs, sed illorum, qvæ istis omnibus subjacent, reqvirit, id est, actionum & affectuum genericè consideratorum, ut virtutum & vitiorum objecta sunt, boniq; ac pravi esse possunt, non illos qvi alterutram formam jam induerunt, ad novam mediocritatem reducere conatur. Ita in rectâ attemperatione amoris & odii, non amoris Dei aut odii peccati virtus occupatur. Confundit tamen Aristoteles effectum cum causâ, cum virtutem esse mediocritatem dicit, qvæ potiùs mediocritatem efficit, affectuumq; non attemperatio est, sed principium attemperans, deinde neq; mediocritatem tantùm intensionis cum Aristotele, sed & medium extensionis, qvod utrumq; Græca vox μεσότης significat, id est, non eam tantùm, qvæ versatur inter excessum & defectum affectûs, sed & qvæ in affectûs actionisve ad verum objectum suum determinatione consistit, intelligere oportet, si defendere definitionem velis. Eo sensu enim omnis regula medium qvoddam atq; attemperationem regulati inter patentes utrinq; errores præscribit, & ipse Deus legis suæ observationem ita reqvirit, ne vel ad dextram vel ad sinistram aberremus. *Deut. V. 32.* & ut nihil addamus, nihil detrahamus, *c. IV. 2.* Cum autem mediocritatem à viri prudentis determinatione æstimat Aristoteles, nihil agit, dum qvis in eâ re prudens sit, & ad qvam normam prudentia talis æstimari debeat, in medio relinqvit. Aliàs virtutem servare medium rationis non rei, disputant scholastici, sed & ipsum illud medium rationis qvid sit, obscurè definiunt. Nobis videtur illa distinctio sic rectè explicari posse, ut per medium rationis intelligatur, qvod ratione prius & notius est, ut inde æstimentur extrema, per medium verò rei id, qvòd æstimatur

ab extremis tanqvam notioribus. Ita enim virtus non æstimatur ab extremis, qvæ vel in actionibus vel in objectis esse possunt, ut v. g. inter zelum fervidum & supinam negligentiam intermedius tepor est, inter optimum & pessimum intermedium est indifferens; sed actiones æstimantur extremæ & vitiosæ esse à remotione, qvâ absunt à primâ virtutis lineâ, circa unumqvodq; objectum lege Dei ductâ.

§ 14. Non est autem media hæc virtutis via in aliqvâ latitudine posita, in qvâ sine vitio vagari liceat vel remotiore vel propiore ad alterutrum extremum accessione, ut multis videtur. Nam perfecta rectitudo ut totius sanctitatis, ita singularum etiam virtutum omnino indivisibilis est. Illa autem qvæ mediatæ tantùm obligationis sunt, nec nisi sub genericum aliqvod præceptum cadunt, videntur latos fines habere, cum in judicium nostrum de rerum circumstantiis rejecta sunt. Uti enim alia via alii melior occurrit ad mandata Dei exeqvenda, aliusq; se ad aliud magis obstrictum videt, aut inter æqvalia plura agendi media liberâ electione fruitur, videmur nobis varios virtutis unius modos observare, ubi non nisi varia ad virtutis actiones finemqve bonum promovendum adminicula invenimꝰ. Certat hîc pro humanâ imperfectione qvandoq; etiam zelus cum prudentiâ, ut votum animi ad res præclarè gerendas fervore suo superet metum probabilem mali succesſûs, qvo alii qvi magis cauti esse student, ab ejusmodi consiliis absterrentur; qvandoq; nec advertit, qvi finis sui amore abripitur, se in aliud peccatum incidere, dum in aliâ re officium facere studet, fluctuantq; inter ambigua hominum judicia & incertos eventûs piorum actiones, ut ultra meritum vel laudentur vel culpentur, sibiq; mutuò præferantur, prout cuiq; specioſa magis qvam vera ratio occurrit.

§ 15.

§. 15. Qvando verò extraordinario Dei impulsu & successu qvis qvid egerit, qvod regulariter homo nec potest nec debet agere, heroicâ virtute pollere dicitur, ut v. g. Pinehas amatorem cũ scorto transfodiens, *Num. XXV. 7. seq.* Gideon Midianitarum victor, *Jud. VI. 34.* Samson unus totis Philistæorum cohortibus timendus, *c. XIV. 19. XV. 14. seq. XVI. 29. seq.* qvæ denominatio ut ab ethnicis petita est, ita ad illos hodieq; extendi solet, v. g. ad Cyrum, Alexandrum M. &c. qvorum res gestæ etsi sanctitatem non habent, sed multâ potius turpitudine scatent, ex singulari tamen providentiâ DEI, luxuriantes alios punientis, vel regna ac imperia qvò lubet transferentis, ultra communem hominum sortem feliciter successerunt, *conf. Es. X. 5. seqq. VIII. 3. seqq. XLIV. 28. XLVI. 1.* Errant, qvi putant virtutem heroicam esse illam, qvæ ultra obligationem assurgit ad superpondium aliqvod virtuti lege naturæ præscriptæ adjiciendum, pejusq; errant, cum & Aristidis justitiam & Scipionis continentiam, & quicqvid ejusmodi ultra vulgi mores memorabile apud ethnicos laudatum occurrit, in hanc classem rejiciunt, qvorum sine dubio omnis virtus non tantùm infra perfectæ sanctitatis, sed & luminis naturalis mensuram substitit. Ultra legis obligationem nullam esse virtutem norunt, qvi nihil nisi in ordine ad legem & à conformitate cum illâ nomen virtutis habere norunt, *Deut. VI. 25.* Deinde si exempla tam sacra qvàm profana intuemur, satis patet, qvàm omnino nomen herois non pendeat à majore sanctitate aut virtutis perfectione, sed à majore vi animi & successu rerum arduarum. Illa qvidem animi magnitudo, qvæ laudatur in qvibusdam gentilibus, qvi vel cõmodi vel voluptatis illecebras, nulli famæ periculo obnoxias spreverunt, non nisi prædominans nobi[illegible] fastus videtur, majorem inde

de gloriam sibi atq; reverentiam populi captans, indigna isto encomio, qvo eam proseqvuntur multi etiam Christiani. At illa, quæ in rebus magnis atq; arduis tentatis conspicitur, auctoritatem sive stimulantis illam sive dirigentis Numinis divini ipso eventu probat, qvo auctoritatem Evangelii Christi probare voluit Gamaliel *Act. V. 38. seq.* Eventus enim nisi consilio generoso vel audaci respondeat, neq; dicere possumus illud à Deo esse, etiamsi finis qvi intenditur bonus est. Hoc sensu igitur si accipiatur virtus heroica, ut plerumq; accipitur, omnino certum est, qvod non pendeat à generali aliqvâ obligatione, sed illis tantùm competat, qvibus peculiaris ille divinus stimulus additur: at illi tamen, qvi illum sibi additum sentiunt, mandatum aliqvod in eo habent, ut vocatur *Es. XIII, 3.* qvod negligere nõ debent *Jer. XLVIII, 10.* & vix etiam possunt. Ita multi possunt reformationẽ sive ecclesiæ sive politiæ optasse qvondam, rectè tamen rem à vocatione atq; viribus suis alienam, & ultra spem felicis successûs positam tentare noluisse, qvæ deinceps ab aliis, qvos Deus ad illam excitavit, feliciter multâq; cum laude susceptа est: imò sanctiores etiam animis, & puriores Dei cultores fuisse possunt, qvi id omiserunt, qvàm qvos deinde Spiritus Dei ad id impulit. Qvod observandum, ut inter virum sanctum & heroëm, non minùs qvàm inter dona sanctificantia & administrantia distinguamus, nihilq; interesse religionis vel ecclesiæ intelligamus, qvantæ sanctitatis fuerit, qvi illã ab erroribus irrepentibus qvondã reformarit.

§. 16. Ad perfectam qvidem sanctitatem, qvam hactenus descripsimus, post lapsum Adami in hac vitâ neq; per reparationis gratiam pertingere datur, cum nemo sine peccato sit, *Eccles. VII, 21. 1. Reg. VIII, 46. Jac. III, 2.* & omnis nostra justitia immunda sit, *Es. LXIV, 6.* ad talem tamen

tamen ejus gradum possumus provehi, qvi gentilium honestatem multis parasangis post se relinqvit. Omnino enim injuriosa invirtutem Spiritûs S., qvo regeniti ducimur, illa est multorum in diem viventium opinio, qvâ virtutes Christianas cum ethnicis ita confundunt, ne nisi solâ fide supra illos præstare velint, seq; satis officio functos esse putant, si à gravioribus abstinent criminibus, reliqva omnia divinæ legis præcepta communi humanitatis ratione, viriumqve ἀδυναμίᾳ excusant atq; declinant. Certè non fidei tantùm sed & morum justitiam meliorem etiam pharisaicâ, nedum ethnicâ, in salvandis reqvirit Christus ut absolutè necessariam *Matth. V. 20.* immediatè subjiciens legis â majoribus corruptæ veriorem explicationem: ut notat *Chemnit. harm. p. m. 438.* Fructûs spiritûs non tantùm facinorum vel affectuum etiam malorum cohibitionem, sed & bonorum motuum ubertatem, amorem, pacem, patientiam, bonitatẽ, castitatem &c. vocat Paulus *Gal. V. 21.* Si non major esset regenitorum ad emendationem sui vis & vigor animi, qvàm qvò etiam gentiles assurgere potuerunt, nulli essent fructûs spiritûs, nihilq; ex regeneratione novarum virium lucraremur; & infra tamen multorum gentilium laudem multi, qvi Christianos se esse profitentur, subsident, qvasi ultra proficisci per communem labilitatem neqveant. Torpor ille haud dubio excussæ jam aut certè neglectæ divinæ gratiæ in ejusmodi hominibus indicium est. Non enim otiosus est, ubi admittitur Spiritus S. sed in ipsis etiam conversionis initiis bonos renovationis motûs operatur. Crescunt conando vires, qvòq; acriùs vires à Spiritu Dei concessas experimur, majore facilitate ad ulteriores gradûs provehimur. *Joh. XV. 2. 2. Cor. IV. 16. seq.*

§. 17. Tantum igitur inter sanctitatem fidelium & infidelium honestatem intercest discrimen, qvantum inter vitam spiritualem & mortem peccati *Eph. II. 5. Rom. VIII.*

13. inter servitutem & libertatem *v. 17. 18.* Cum enim in homine infideli peccatum originale ita regnet, ut voluntas ad omnia mala præceps ruat, nec nisi vel ob malum finem vel gloriæ vel commodi alicujus consequendi aut mali evitandi, vel propter solam malè agendi occasionem abscissam sive externam sive internam, nempe corporis temperamentum ad certi generis vitia ineptum, à pessimis actionibus abstineat, aliqvamq; induat virtutis speciem; regenitus contrà, qvi Spiritu S. regitur, ex verò Dei divinæq; voluntatis amore officium facere studet, & adversos peccati motûs cohibet, ac luctando vincit, ne unqvam nisi per subitaneam obreptionem secundùm illos agat. *Gal. V. 16. seq. Rom. VIII. 7, 13.* Lucta illa carnis & spiritûs ubicunq; reperitur, vita spiritualis reperitur, qvam Spiritus divini gratia in homine accendit, & ut fortiùs resistitur pravis concupiscentiis, majores fecit renovatio progressûs, cujus ultimũ in hac vitâ complementum est, ut semper motûs mali in ipsis suis initiis & primo qvasi partu comprimantur. Mali verò ominis res est, si nulla pugna sentiatur, si fons ille peccati continuò pullulans nil molestus sit, si qvies domi, secumq; homo contentus vivat, ita enim jam succubuisse spiritum prodit, seq; cum suis cupiditatibus in gratiam rediisse, ut illarum ductu feratur, ad instar mancipii parens jugiq; patiens. *Rom. VII. 5. VI. 20.*

§. 18. Pugnans hæc & supprimens peccati motûs Christianorum sanctitas cum non languida est, sed fervida & ad omnes officii nostri partes explendas sedula, perfectio Christiana dicitur, nempe perfectio non omnimoda, sed ut statui ac conditioni nostræ conveniens est, & propterea discriminis causâ à Theologis adjecto epitheto, inchoativa, qvòd nulla hîc dari possit plenior consummatæ sanctitatis inchoatio: ita perfectionem veris Christianis non semel S. Scriptura tribuit *Phil. III, 15. Col. IV. 12. Heb. V. 14.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746160089/phys_0054
DFG

V.14. Jac.I,4. etiam fidelibus ante Christum natum *Gen. VI. 9. Ps. XV. 2. Job, I,1. 1. Reg. XXII. 24.* item servationem mandati divini *Gen. XXVI. 5. Deut. XXVI. 13. Job. XXIII. 12. Luc. I. 6. 1. Joh. III. 12. Joh. XIV. 23. Matth. VII, 24.* & impletionem legis, *Rom. XIII, 8. Gal. VI. 2.* qvâ nec ipsi suâ voluntate peccent, sed inhærens tantùm peccatum sentiant, contra intentionem & votum suum recurrens, *1. Joh. III, 6. 9. 10. Rom. VII, 17.* Qvanqvam enim contra gloriationes pharisaicas docemur, legẽ à nobis perfectè impleri non posse, docere tamen etiam contra carnalem securitatem oportet, qvòd implere illam aliqvâ ratione possimus, & sicut illa propositio in Theologiâ polemicâ freqvens est, ita hanc in morali non minùs sedulò proponendam esse, celeberrimus Chemnitius qvondam judicavit. *In singulis præceptis*, inqvit *part. 2. LL. Theol. de Lege Dei cap. 8. hæc doctrina diligenter inculcanda est, & qvomodo lex sit impossibilis & qvomodo impletionem ejus habere possimus. Utring; enim periculosè & sæpe non ex ignorantiâ, sed ex petulantiâ erratur. Pharisæi — fingunt se posse singulis præceptis perfectâ obedientiâ satisfacere. Epicurei — hoc velamine excusant omnes lapsûs contra conscientiam. — Diligenter igitur in singulis præceptis ostendendum est, qvomodo & qvatenus lex sit vel impossibilis vel possit impleri, & distinctim dicendum est de renatis & non renatis.* Similia occurrunt *cap. 3. ibid.* Qvæ utinam omnes catechetæ & concionatores probè observarent, cum in hoc argumento occupantur!

§. 19. Qvanqvam autem Deus imperfectam illam sanctitatem nostram & inchoativam legis impletionẽ benignè accipit & agnoscit, non ipsam tamen legis suæ regulam inflectit, nec gratia Evangelica illuc tendit, ut qvæ naturalis ac perpetua Dei justitia postulat, ob infirmitatem nostram emolliantur atqve corrigantur, cujusmodi ἐπιείκειαν quidã adversari nostrii somniant; sed omnes tamen actiones nostræ ad perfectissimæ sanctitatis ac obedientiæ typum dirigendæ atq; examinandæ sunt, *1. Pet. I, 13. sq. Matth. V, 48.* ut qvâ in re nostri conatûs

natûs deficiant, quòq; ulteriùs pergendum sit, inde addiscamus, & eorum, quæ attingi neqveunt, veniam à Deo quotidie precemur, juxta *Ps. XXXII. 6. 3 petit s. orat. dom.* ut perfectissimâ justitiâ Christi, quam fides apprehendit, defectûs nostri expleantur, *Rom. VIII. 3. seqq.* Ita verò præceptaDei non sunt gravia. *Joh. V. 3.* jugum Christi lene est & onus leve *Matth. XI. 30.* si combinetur officium nostrum cum fide remissionis peccati, & sangvine Christi conscientiæ nostræ labes emaculetur *Heb. IX. 14. X. 22.* Sic tota vita nostra perpetua quædam pœnitentia est, ut Lutherus dixit, in quotidianâ sui emendatione occupata.

§. 20. Emendatio verò illa nostri & sanctitatis perfectioris studium debet esse summum, ita ut quantuscunque in eâ re conatus noster esse potest, omnino adhiberi debeat, incessabile studium, & fervidus spiritus *Rom. XII. 11* & ἀκριβῶς accuratè ambulemus, *Eph. V. 15.* excussis omnibus actionibus atq; inclinationibus nostris, maximis, minimis, cum timore & tremore. *Phil. II. 12.* ut quàm minimum in nobis vitii resideat. Præcisitatem vocat Voetius, quam ipsi ut singularis sectæ nomen impropera-tam peculiari disputatione *part 3. Disp. sel. p. 59. seqq:* defendit, illisque requisitis describit, ut respiciat quis ad totam legem, ejusq; singulas partes, particulas, minutias usq; ad motûs primo primos, minimas cogitationes, verba, gestûs ad usq; minimos atq; ultimos conscientiæ casûs & factorũ consequentias ac circumstantias, & sic in omnibus se quàm exactissimè conformet perfectissimæ illi normæ, ne jota quidem boni omittendo, & ne speciem quidem mali admittendo: Ut quis singula mala omittendo & bona faciendo faciat in gradu intensissimo &c. Quod tamen omne de conatu, affectatione & desiderio potiùs quàm consecutione intelligendum est, ceu ipse definitionem explicat. Nos quidem in thesi id omnino probamus, dummodo non ipse suam illam ἀκριβειαν in hypothesi magis ad ritûs & ceremonias, sæpe bonas & inoxias, evertendas extenderet. Duo enim in illo ἀκριβείας studio præcipuè observanda sunt, primùm ut illud pro objectorum dignitate partiamur, & quanti res ipsæ Deo majoris sunt, majores in eas minoresve curas impendamꝰ, nec [illegible]eduvias curemus cumcapiti mederi possumꝰ, ut Pharisæi *Matth. XXIII. 24.* deinde ne vires nostras in isto studio sicomnes uno impetu exhauriamꝰ, ut deinceps languere oporteat, *conf. 2. Cor II. 7.* sed ita in eâ re versemur, ut quàm diutissimè quod bene cœpimus, servar: atq; prosequi possimus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746160089/phys_0056
DFG

CAPUT III.
DE
INTELLECTU ET CONSCIENTIA.

§. 1.



Via actio moralis est, qvæ æstimatur ad legem divinam, & ex ejus perceptione fluere debet, primum agendi principiũ, cui omnis alia facultas in homine subjicitur in naturâ rectâ est intellectus. Etsi enim etiam in statu integritatis factum procul dubioest, qvod nunc accidit qvotidie, ut nec advertentibus nobis sponte suâ abeant membra in eos motûs, ad qvos circumstans aër & spirituum vitalium agitatio impellunt, ut dilatetur pulmo, nutent papebræ, sudent pori, protendatur pes, &c. illi tamen motûs naturales moralitatem nullam habent, magisq; passiones sunt qvàm actiones, ex naturæ necessitate fluentes. Hujusmodi tamen motûs in naturâ corruptâ longè plures existere necesse est, qvàm in integrâ, dum habitualis virium δυναμοσία & corruptio membra ad varias mutationes proniora fecit, qvas nec animadvertere nec inhibere possumus. Qvæ verò si tales sunt, ut illos in statu integro intellectus regeret, nunc etiam morali æstimationi subjiciuntur, ita ut & infantes ante omnem rationis usum peccata actualia suo modo committere dicantur *Ps. LVIII. 4. Es. XLVIII. 8.*

Resp. FRIDERICO CÖLLER, Sverinens.

§. 2. Qvæcunq; intelligimus, nisi fortè immediatâ qvâdam mentis elevatione vel illuminatione divinâ se qvis perfici putet, qvalem eorum revelationem esse volunt judæi, qvos per Spiritum S. scripsisse ajunt, omnia vel à naturali ratione haurimus, vel à sensuum experientiâ, vel junctim ab utrâq;. Qvi duplex sciendi fons, ita certus

& verax est, ut fallere omnino neqveat. Absurda visa est omnibus honestis auribus hyperbolica illa dubitandi ratio, qvàm in gratiam scepticorum sibi opposuit in primâ & secundâ meditatione Cartesius, qvasi fortè à summo aliqvo impostore ita conditi simus, ut continuò fallamur: qvam objectionem non fides tantùm, sed & ratio & sensûs ipsi suâ sibi evidentiâ difflant, & nisi difflarent, nil restaret sanè, qvod respondere objicienti liceret, nisi ut strenuè igitur fallamur. Ultra enim hæc cognoscendi principia, aliud nullũ datum est, qvo veritatẽ illorum exploremus, qvorum si vel fallax indicium esse posset, nulla causa esset, qvò minùs perpetuâ fluctuatione mergeremur. Possumus qvidem utroqve modo falli, & cum ratione & cum sensibus niti nobis videmur, sed illud non ipso luminis ejus vitio, qvod à Deo datum est, sed nostro, dum illo malè utimur, & voluntatis studio ejus indicia antevertimus, ut plura qvàm inde accepimus, qvasi accepta sumamus. Qvod ut adversus omnem scepticismum & novos qvorundam philosophorum conatûs rectiùs pateat, & principia practica, qvæ naturaliter innotescunt, ab ipso, qvod dicitur, ovo deducamus, ulteriùs aliqvantum ultra viam nostram ad hæc prima elementa excurrere juvat.

§. 3. Rationem, qvâ à brutis differimus, alii aliter definiunt, & miserum est, in ipso limine & communi intelligendi principio etiam diffidere philosophos, cum qvid illud sit, qvo se omnes niti, qvodq; seqvi se gloriantur, indagant. Nuperrimè cl. qvidam vir eam definivit per *facultatem cognoscendi rem in naturâ suâ*. Qvæ si proba est definitio, nescio utrum omnibus hominibus optimam physicæ scientiam vindicet, qvâ naturas rerum explicare possint, an verò rationem plerisq; admodum imminuat, si non planè adimat. Fieri enim vix posse videtur, ut qvi-

bus

bus tanta facultas connata est, nullum ejus sit exercitium. Illud certum est, hac definitione parum explicari, qvid ratio sit, anteqvam constet, qvæ sit natura rerum, novoq; alio hic opus esse principio, unde pateat, qvæ cognitio nostra veram rerum naturam attingat. Neq; Scaliger, qvi rationem vocat *potestatem ad motum, qvi ducit ad conclusionem*, neq; alii, qvi *vim discursivam ab uno ad aliud*, appellant, rem satis conficiunt, dum non tantùm rationem ad tertiam mentis operationem sine causâ restringunt, sed & qvale illud concludendi principium sit, qvo vera conclusio ab insanâ & fatuâ (qvæ utiq; rationis non est) distinguatur, in medio relinqvunt. Nos igitur ut certius qvid dicamus, rationis humanæ illam definitionem damus, qvæ etsi fortè omnes Scholasticorum tricas non effugiet, id tamen exprimit qvod qværenti rem planam facit, & inesse nobis nemo negabit, np. qvòd sit *facultas distinctè reflectendi super conceptûs & cogitationes nostras*. Nam phantasia & sagacitas & qvicqvid aliàs brutis solet tribui, aut in illorum actionibus observari, ad actûs intellectûs directos, qvibus objecta sensuum apprehendunt, referri potest, ut actûs reflexi, qvibus illæ apprehensiones directæ considerantur, tanqvam proprius rationis effectus, homini soli vindicentur. Reflexionem autem supra conceptûs nostros intelligimus distinctam, qvâ illos à se invicem distinguere & iterum combinare, numerare, atq; comparare possumus, adeoq; de se mutuò affirmare vel negare. Hæc verò facultas illud supponit necessariò infallibile & nobiscum natum, & sic omnium primum principium, qvòd omnis distinctionis inter conceptûs mentis fundamentum est; *impossibile est idem simul esse & non esse*; seu qvod idem est, affirmationem & negationem non posse esse idem. Qvod primum atq; fundamentale rationis principium negare nemo potest

qvin oppugnando confirmet. Nam dum verum id esse negat contradictor, nulla causa est qvare non etiam affirmet, si idem simul esse & non esse potest, aut si propterea quod id neget affirmare nolit, eo ipso se perperã nobis contradicere vel invitus suo exemplo probat. Ex hoc immoto igitur principio sequitur qvicqvid ratio docet, np ut de omni conceptu id affirmem9, qvod illi ineſt, negemus, qvod per illum excluditur; & sic qvoq; de re cujus illum conceptum esse volum9. Sic abstracti & concreti formales distinctiones, causæ & effectûs mutuas illationes, relationem totius ad partes, vim dicti de omni, ut dicitur, & qvicqvid præterea canonum Philosophicorum est, ex hoc fonte derivari necesse est, si rationis qvidem canones jure meritoqve audiunt. Qvod latiùs proseqveremur, si Logicam nunc scribere animus esset.

§. 4. Sensus est facultas percipiendi, aut si pro actu sensationis sumitur, est ipsa perceptio rerum existentium, sive nostri ipsius, eorumq; qvæ intus in nobis sunt, sive illorũ, qvæ extra nos aut in superficie corporis nostri existunt: illum internum, hunc externum sensum vocare possumus. Qvanqvam enim in scholis paulò aliter his vocibus utuntur, ut per sensûs externos objecta deferri dicantur ad internos, breviore tamen & planiore hypothesi dum rem omnem explicat Cartesius, qvâ præter mentis attentionem ad motûs spirituum & nervorum nihil ad sensum reqviritur, in illâ sic acqviescimus, ne alias, qvàm qvas facilè qvivis admittit, hypotheses vocabulis involvamus. Sens9 autẽ nostri ipsorũ, cogitationumq; nostrarũ ratiocinantib9 suâ naturâ prior est omni sensu externo, neq; de ullâ re aliâ qvis vel prius vel magis certus est, qvàm de suâ ipsius existentiâ. Unde tritum illud Cartesianum; *ego cogito, ego sum*; pro primo cognoscendi principio physico, non causali qvidem, sed illo unde nostra de rebus existentibus cognitio inci-

incipit, facilè admittimus. Evidentia autem omnis sensûs tanta est, ut illum qvisqvis in dubium vocare velit, eo ipso confirmet. Nam dum disputat, sentire se & percipere fatetur sermonem ejus contra qvem disputat, eumq; sibi re vera opponi agnoscit. Scepticorum nemo fuit, qvi dubitationes suas ad praxin vitæ extenderet, sed & de fame intus & de cibo foris se certos esse docuerunt, qvoties epulati sunt. Distinguendæ autem veritatis à phantasiâ sive somniantis sive deliri, infallibile κριτήριον homini vigilanti atq; sano esse, in memoriâ & coñexione certâ præsentium cum præteritis rectè cum aliis docuit Cartesius. Spectra etiam & lusûs, qvi foris fiunt, sua levitas, atq; brevitas prodit, ita ut sensuum concursus, constansq; & evidens observatio nullam ejusmodi suspicionem de objectis patiatur. Qvo documento ipse Christus probavit discipulis, se spectrum non esse, *Luc. XXIV. 39.* Læsorum organorum motitationes, ut tinnitûs aurium, nebulas oculorum, tum aliæ rerum circumstantiæ, tum seqvens nos qvocunqve pergimus idem sensus facilè ab objectorum externorum, qvæ in certo loco hærent, perceptione distinguit, ita ut nisi de uno vel altero fortè momento, qvo qvis subitò nobis sensus oritur, nulla esse possit discernenti dubitatio.

§. 5. Itaq; principium illud Cartesianum; *Q. clarè & distinctè percipio, verum est*; satis bonum foret, si ita explicaretur, ut qvicqvid evidenter & distinctè sentio adesse, revera adsit & existat: sed ita physicæ illud sive sensualis, non logicæ cognitionis principium erit; qvæ duo perperam Cartesiani confundunt. Ratio enim non est, qvâ rerum existentia primùm innotescit, sed sensus; hic conceptûs menti suppeditat, de qvibus illa instruit judicium. Theologi qvidem tritum illud Aristotelicum; *nihil est in intellectu, qvin prius fuerit in sensu*, vel limitant vel rejiciunt,

neq; immeritò, qvia de sensu tantùm externo loqvitur, & connatã Dei notitiam excludit; at si de omni etiam interno sensu id explices, ita defendi posset, qvòd nihil actu intelligatur, nisi motu suo aliqvem sui sensum menti imprimat. Qvemadmodum neq; ipsam rationem, qvòd insit, vel qvid sit, intelligimus, nisi ejus operationes sentiamus, & regulæ logicæ praxi qvàm theoriâ notiores sunt. Ita etiam connati nobis testimonii de summo Numine sensum habemus, non tantùm in lege naturæ, de qvâ deinceps, sed & in habituali inclinatione animi ad commune aliqvod rerum principium supponendum, & reducendum omnia ad unum aliqvod primum & summum. Illa inclinatio atqve suppositio non est ipsa ratio, nec à rationis fundamento, np. contradictionis impossibili concordiâ pendet, unde etiam supprimi aliqvando & oppugnari seriò potest, interim tamen certò ac inevitabiliter nobis inest, suiq; evidentiâ, ipsa praxi subinde recurrens, conqvisitas in contrarium dubitationes difflat. Qvæ verò supernaturali revelatione innotescunt, prophetis qvidem per visiones, somnia, ecstases, juxta *Num. XII. 6. Joël. II, 28.* aut vocè externâ, ut *I. Sam. III. 9.* aliis autem per sermones & scripta prophetarum, & sic utrisq; per sensûs innotescere palam est. Nec alio signo prophetis ad ejusmodi revelationes à phantasiâ vel somnio naturali, aut fraudibus, qvibus imponi credulis solet, distinguendis opus fuisse credimus, ut eam reverâ Dei vocem atq; revelationem esse certi essent, qvàm ipsâ ejus luminis atq; sensus, qvo afficiebantur, evidentiâ singulari, qvanqvam & aliis qvandoq; criteriis, & præcipuè insolitis ac miraculosis operationibus & eventibus, tum illis tum aliis hæc certitudo confirmabatur, ut *Ex. III. 12. c. IV. 1. seqq. Jud. VI. 37. 39. Luc. I, 18. seq.* Verùm ut vigilias à somno nemo nisi vigilans, solem à lucernâ nemo nisi qvi

solem

solem viderit, discernere potest, ita nemo nisi propheta, & qvi illud lumen expertus est, discrimen cœlestis revelationis à qvâvis naturali luculenter exponet.

§. 6. Qvæ sensibus observamus, rationis judicio subjicimus, ita ut qvâ inter se analogiâ conveniant, examinemus, & ex iis qvæ freqventer fiunt, de aliis similibus & analogis concludamus. Inde signa rerum, verborũ vis, & auctoritas dicentis dijudicantur, fides, opinio & conjecturæ prudentes exurgunt: qvia qvæ semel causa fuit alicujus effectûs, ubi iterum existit in tali rerum & circumstantiarum concursu, iterum erit, qvod sæpius fit, sæpius & sic magis, qvàm qvod rarò fit, expectandum est, & id ad qvod plura indicia concurrunt, majorem sui expectationem facit, qvàm cujus vel nulla vel pauca indicia observantur. Ex qvo fonte omnis ferè præsumtionum apparatus deducitur, qvæ apud Alciatum, Menochium & alios JCtos longo ordine enarrantur. Hic indiciorum concursus sæpe tantus est, ut certitudinem gignat omnimodam, qvanqvam minùs evidentem, qvàm illorum est qvæ immediatè sensum feriunt, qvam physicam, aut purâ ratione concluduntur, id est, sine contradictione aliter esse neqveunt, qvam logicam vel metaphysicam certitudinem scholæ vocant: ad qvarum distinctionem hanc, qvæ ab indiciorum concursu est, *moralem certitudinem* appellamus, cui subesse falsum suspicari qvidem non licet, penitus tamen impossibile non est. Vocamus autem moralem, non qvasi nulla major sit disciplinæ morali certitudo, sed qvòd de rebus & actionibus humanis, qvibus hæc doctrina applicatur, plerumq; nõ alia certitudo haberi possit, v.g. cum puniendos à magistratu malos, juvandos esse injusta passos, evidenti ratione constet, qvis tamen malus sit, qvis injusta passus, non nisi hominum testimoniis aut externis signis probatur.

§. 7.

§. 7. Qvemadmodum autem vires sentiendi in homine, ita & intelligendi limitatæ sunt, ne vel sentire objecta omnia, neq; eorum qvæ sentiuntur naturam atq; rationem penitus indagare possit. Præsertim post lapsum morbis hebescunt sensuũ organa, deficit à suo vigore memoria retinendorum revocandorumq; conceptuũ, sive (ut scholastici loqvuntur) specierum, qvas sensûs suppeditaverant, & vires animi fatiscunt ad conceptuum varietatẽ ac convenientiam omnem observandam. Accedit voluntatis impetus, attentionem intellectûs ab objectis sæpe avocans & judicium antevertens. Hinc fontes ignorantiæ & erroris deteguntur: ignorantiæ qvidem, sensorii hebetudo, nulla attentio animi, memoriæ vitium; à qvorum primo & ultimo tanqvam naturæ vitiis, ignorantia invincibilis, à secundo verò, qvi nostri arbitrii est, vincibilis promanat: erroris verò, organorum prava dispositio, præceps judicium, diversa mentis abstractio, & conceptuum sive specierum confusio. Pravam dispositionem organorũ puta non tantùm externorum, sed & internorum, qvibus aliqvis sensus fit, ut cum ex morbo cerebrum æstuat, fortiq; phantasiâ afficitur, ut vigilans somnia videat, & rès sensibus obversantes planè aliæ appareant, qvàm qvæ sunt: qvod furibundis ac phreneticis accidit. Præceps judicium est, qvod formatur qvodam impetu animi de re nec dum vel sensu perceptâ vel ratione examinatâ; qvale imprimis conspicitur tum in illis conclusionibus, qvæ auctoritate magistrorum vel novitatis admiratione accipiuntur, tum in iis qvæ qvasi ab inductione formantur, ubi à paucis exemplis statim ad ignota reliqva & universales canones progressio fieri solet, tum etiam in illis, in qvibus sensûs vulgò dicuntur fallere, cum np. non attendimus ad omnia, qvæ sensûs docere poterant, & interim plus qvàm ab illis accepimus,

pimus, concludimus, v.g. sensus non tantùm docet qvanta res quæq; appareat, sed & qvòd pro diversâ distantiâ alia qvantitate appareat: itaq; qui putat solem non majorem esse spithamâ, de distantiâ ejus secur⁹ est, & sic nec attendit ad id qvod poterat, & plus concludit, qvàm debebat. Diversa abstractio seu consideratio oritur, cum res nobis magis sistimus, ut eas esse cupimus, qvàm ut sunt. Sicut enim qvæ oculis intuemur, aliam sæpe faciem induunt, oblonga, rotunda, formosa, deformia apparent, & vel æqvalia sibi esse, vel alterâ parte eminere videntur &c. prout diversus est oculi ad ea situs, ita etiam multum interest, à qvâ parte rem ipsâ mente intueamur. Cum enim aliã causam vel circumstantiã propiùs intensiùsq; , aliam longinqviùs & remissiùs consideramus, aliter etiam qvàm is, qvi alio ordine rẽ sibi sistit atq; colligit, judicium ferimus. Conceptuũ confusio oritur (1.) à multitudine & varietate illorum subitò sibi succedentiũ, qvibus omnibus colligendis animus impar est. Qvæ causa est, qvòd neq; somniantes neq; phrenetici, qvi multâ spirituũ agitatione & obversantibus inde imaginibus obruuntur, certo liberoq; judicio rationis frui possint. Oritur (2.) ab observatâ tantùm similitudine, non etiam dissimilitudine rerum & conceptuum. Inde enim fit, ut pro iisdem habeantur, qvæ diversa sunt, & qvod uni similium aptum est, ei qvoq; aptetur,, in qvod id minimè convenit. Oritur (3.) ab æqvivocatione vocum, qvæ in aliis atq; aliis phrasibus leviter à significatione suâ deflectunt, non observantibus id iis qvi loqvuntur, ut qvod in uno sensu verũ esse deprehenditur, promiscuè de qvovis vocis usu affirmetur. Quare cum rationis usus fere omnis in conceptuum distinctione consistat, non frustra dictum est vulgatum illud: *Qvi bene distinguit, bene docet.*

§. 8. Nuperrimus atheismi doctor, Spinoza, verita-

tatis & erroris differentiam in discrimine intellectûs & imaginationis, sive, ut se ipsum explicat, adæqvatæ & inadæqvatæ ideæ qværit, qvarum illa ab ipsâ mentis potentiâ oriatur, hæc à causis externis, à qvibus corpus afficitur. Cujus viri prolatas cum grandi supercilio impias & stolidas hypotheses, aut novam mentis medicinam, qvæ ex illis à nupero auctore infeliciter tentata est, pluribus excutere, nostri nunc instituti non est. Fecerunt id jam alii: nobis sufficiat hoc loco id tantùm notare, qvòd primum errorem præceptoris Cartesii, rationis judicium in connatas rerum ideas convertentis, corrigendo reddiderit deteriorem, dum illos ex claris & distinctis fecit adæqvatas, qvales de rebus omnino nullæ dantur, sed de universalibus tantùm notionibus & figuris mathematicâ abstractione formatis, qvas abstractiones tamen à confusione ortas & maximè inadæqvatas esse, idem auctor fatetur *p. 76. 77. 380.* Qvænam enim illa res est, cujus naturam totam & omnes causas, causarumq́, nexûs nosse se qvisqvã gloriari possit? Unde seqveretur, nullum nobis de rebus, qvæ sunt, intellectum, nullam veritatem notam esse, sed omnia qvæ novimus, qvia imperfectè novimus, falsa esse, si inadæqvata & falsa idea eadem esset. Qvam conclusionem tamen Spinoza omnino nolit, in qvâ ipsâ ejus methodus primum naufragium faceret. Interest tamen inter intellectionem & imaginationem non tantùm nominis differentia, dum illa semper & assensum & veritatem complectitur, hæc etiam de errore dicitur, & de solâ repræsentatione rei sive existentis sive minùs; sed & rei ipsius. Cum enim de re aliqvâ cogitamus, plerumq́; nobis aliqvam ejus imaginem mente pingimus, vel qvalem vidimus antea, vel ex iis qvæ vidimus, compositam. Unde fit ut nomina conceptûs, ideæ, speciei, cogitationibus data sint, qvæ cum de omni intel-

intellectione, vel intellectus objecto ut in mente est, dicuntur, intellectionem cum imaginatione confundimus, qvasi omnium cogitationum tales sint in mente imagines, & sine illis nihil intelligatur. Hinc disputationes ortæ, an nihilum possit concipi? aut ens rationis? aliis id affirmantibus, qvi qvodnam esset subjectum qvæstionis, se intelligere sibi certi erant; aliis negantibus, qvi se nihili aut contradictorii nullam in mente imaginem formare posse experiebantur. Ad cujusmodi dubia tollenda hac inter intellectum & imaginationem distinctione opus esse censemus.

§. 9. Intellectus autem potentia necessaria esse dicitur, voluntas libera, qvandoqvidem experientia docet, nos sæpe invitos intelligere, qvæ mallemus ignorare. Animadvertimus tamen intellectûs qvandam actionem esse, qvandam passionem, unde eum & in activum & passivum distinguit Aristoteles. Nam perceptio objectorum, qvæ vel directo actu mentem attingunt, vel reflexo inveniuntur, ut & perceptorum retentio seu memoria, passio qvædã est, eaq; attendenti omni necessaria, sicut tabula, qvæ in illâ conscribuntur, necessariò recipit & servat. Verum attentio animi ad objecta præsentia, & operatio rationis ad illorum vel compositiones faciendas, qvod ingenii est, vel inveniendas distinctiones & convenientias, qvod judicii est, actiones sunt, qvæ magnam partem à voluntate reguntur. Judicium igitur seu assensio mentis formaliter qvidem qvædam actio est, sed immediatè fluens à passione, seu perceptione evidentiæ, necessitatis vel probabilitatis, qvæ est in objecto vel conclusione inventâ, mediatè autẽ ab actione attentionis tum directæ tum reflexæ descendens, & illo qvidem respectu simpliciter necessaria est, hoc verò non item: id est, fieri non potest, ut sensui evidenti, vel connato principio rationis, iisq; qvæ inde evi-

denter fluunt, cum attendimus, non etiam assentiamus, fieri tamen potest & sæpissime fit, ut avocemus animum ab illâ attentione & qvædam nolimus videre vel audire &c. qvæque reflexo mentis actu considerare poteramus, non consideremus, aut aliter nobis imaginemur, qvàm sensibus percepimus. Illa est, qvam participativam intellectûs libertatem vocant. Unde crassum errorem errant Cartesiani, cum assensum pro actu voluntatis formali seu elicito haberi volunt, qvi ne qvidem imperatus est, qvamvis imperato actu voluntatis corrumpi, retrahi & concitari possit. Sed neq; semper & ubiq; id voluntas potest. Qvædam enim objecta ita fortiter sensum feriunt, animoq; obversantur, ut nullâ ratione retrahere nos ab attentione possimus, qvorum adeò perceptio est simpliciter necessaria, & assensus inevitabilis; ad illa verò, qvorum evidentiam superare potest defixa in aliis rebus contemplatio, occallescere mens, & nostrâ sponte cœcutire potest, & iterum pro voluntatis arbitrio attentionem & intelligendi studium adhibere. Dupliciter igitur intellectui voluntas imperat, primùm fastidiendo omnem alicujus rei sensum, & attentionem inde avocando, deinde subjiciendo contemplationi nostræ qvædam admodum grata, ut intellectûs vires in illis sic omnes occupentur, ne ad alia respicere vel attendere possit. Ita fit, ut argumenta pro voluntatis studio semper promta habeamus, qvæq; illis adversa sunt negligamus, credamus qvæ volumus, & in iis, qvæ minùs placent, suspicaces simus. Inde omnis hæresis & opinionum monstra, & conceptæ semel animis sententiæ, qvamvis satis temerè arreptæ, ita placent, ut qvævis absurda audacter admittantur potiùs & seriò defendantur, qvàm deseratur hypothesis, qvæ semel placuit. Sic mirum non est, inter opera carnis & effectûs

fectûs pravæ concupiscentiæ referri ab Apostolo dissensiones & hæreses, *Gal. V. 20.*

§. 10. Eâdem ratione etiam memoriæ imperat voluntas, cum enim ad rem perceptam acriùs attendimus, fortiùs hæret, qvàm si attentio debilis est, & succedentibus statim aliis cogitationibus extincta. Nec tamen possumus omnis rei oblivisci cum volumus, qvia non tantùm fit, ut objecta sæpe externa ejus excitent memoriam etiam invitis, sed & qvò magis displicet, & voluntas in ejus aversione occupata est, eò magis ad eam attendimus, ejusq; vestigia nobis imprimimus, qvæ nec temporis diuturnitate deleri possunt. Solo igitur contemtu vel majore ad alias res attentione facimus, ut oblivio surrepat, & æstimatione, ut memoria ejus vigeat. Hoc tamen voluntatis imperium aliqvando ab ipso intellectu proficiscitur, nempe si postqvam intelleximus rem dignam esse, qvam diligentiùs consideremus, ita etiam volumus facere, atq; sic cognitionem ejus & memoriam augere, postqvam indignam esse intelligimus, etiam contemnimus, animumq; aliò vertimus, ad illa qvæ magis interest considerare.

§. 11. Cartesius hoc voluntatis imperium animadvertens, nimisq; latè interpretatus, inde conclusionem conficit apud Theologos satis absurdam, qvòd homo si velit, possit sibi in totâ vitâ ab omni errore cavere. Qvanqvam enim hominem integrum ita conditum fuisse facilè largimur, ut ita se continere potuerit, ne qvid nisi certò exploratum affirmaret vel negaret, ut nunc tamen sumus homines, nimis debilitatæ sunt intelligendi vires, & pronus voluntatis est ad pravum impetus, ne vel animadverti omne ejus vitium vel corrigi qveat. Possumus, ait ille, abstinere ab omni judicio de rebus non clarè & dis-

tinctè perceptis; sed in ipso hoc claræ & distinctæ percē-
ptionis canone, qvem catholicam veritatis normam fecit,
humanæ ostendit imbecillitatis exemplum, dum illum
ab æqvivocatione non liberavit, & cum ad ea applicavit,
qvæ eâdem evidentiâ non perceperat, qvâ illud primum
Cogito E. sum, nec sibi nec aliis claram & distinctam ejus
notionem dedit. Certè ipsum judicium de clarâ & distin-
ctâ perceptione, voluntatis studio subjacet & çorrumpi-
tur, dum Cartesius sibi id clarum esse putavit, qvod aliis
ne obscuram qvidem probabilitatem habere videtur, qva-
lis v.g. est identitas corporis & spatii, & aliis fortè idea chi-
meræ vel centauri æqvè clara & distincta videbitur, ac ipsi
idea bovis vel capræ. Tum etiã dubitatio suspicacis animi,
in mediâ luce reiq; evidentiâ cespitantis, errat, qvia qvod
clarum & distinctum est, non esse putat. Nullus qvidem er-
ror est, ad qvem specialiter errandũ nos naturæ corruptio
determinaverit, attamen qvàm sibi minimè qvisqvàm per-
fectam cautelam promittere possit, experientia docet: e-
tiam cum caviſſe ratus est, sæpe is cautor captus est. Pos-
sumus tamen melius nobis prospicere qvàm vulgo fit, si
ad concursum hunç intellectûs & voluntatis in nobis ipsis
accuratiùs attendimus.

§. 12. Sed error tamen omnis, qvamvis ut plurimùm à voluntate oriatur, illi per se ingratus est, nec nisi fortè ad aliud eum prodesse putes, unqvam expetitur. Cum enim nos ipsos & actiones nostras contemplamur, ita nos factos esse animadvertimus, ut intellectu ad instar luminis in omni actione dirigi nos oporteat, adeoq; omnes rectum illum habere expetimus, ita ut errorem qvem sciat credatve errorem esse, nemo in agendo secuturus sit. Sicut fieri non potest, ut membrorum nostrorum imperium velimus abjectum, neq; ut agamus,

qvod

qvod nolumus, si actionis nostræ nobis conscii sumus, & membra in potestate habemus, ita neq; fieri potest ut velimus, nisi cujus aliqvam eamq; veram notitiam nobis persvademus. Atq; ita qvisq; apud se ipsum certus est, qvòd intellectus primum esse debeat agendi principium, aliosq; qvos sine certo intellectu vel agere vel expetere qvid observamus, ut stultos & fatuos ridemus. Qvò autem intellectus certior est de fine & mediis istuc ducentibus, eò certior etiam est voluntas, & qvæ sub obscurâ qvâdam spe id, qvod incertum intellectui est, seqvitur, vaga & mobilis est, suæq; mox ipsius condemnationi subjecta. Atq; ita ponderatis omnibus apparet, primam hanc obligationem atq; principium practicũ esse, qvod nobis naturæqve nostræ indispensabiliter infixum, legisq; divinæ in nobis infallibile testimonium est contra omnem adversum naturæ impetum; *Qvòd voluntas semper debeat seqvi intellectum*, & qvicqvid contrà fit, peccatum sit. Qvod adeò verum est, ut qvamvis fiat, ut voluntas cœca eò feratur, qvò oportuit, ipse tamen motus talis deordinatus & vitiosus sit. Non enim ratione regitur actio, sed casu, qvæ ab eventu, non ab agendi principio æstimatur. Ita cum adorant Deum Samaritani, carpit eos Christus, qvòd nesciant, qvid adorent, *Joh. IV. 22.* qvid non carperet, si in qvâvis aliâ re occuparemur, anteqvam qvid agendum sit, noverimus? Et qvamvis rectè agant, qvi qvovis die carnes edunt, peccant tamen, qvi sine certo rei intellectu ad eas comedendas proruunt, *Rom. XIV. 23.*

§. 13 Deinde ut intellectus actiones nostras regere possit, oportet ut qvid agendum vel expetendum sit, qvæq; finis nostri qvæq; mediorum adhibendorum ratio sit, rectè intelligamus; alias enim fatuum lumen erit & merus error, qvem seqvi perinde est ac sine intellectu agere, sicut idem est nullum aut cœcum habe-

habere ductorem, nullis aut perspicillo corruptis oculis pontem transire. Hoc igitur secundum nobis practicum axioma est, ex priore deductum pariterq; certum, *qvòd intellectus in iis, qvæ ad actiones nostras dirigendas pertinent, debeat esse & rectus & certus.* Rectus, ut rem æstimet, qvalis est, & certus, ut causas hujus suæ æstimationis habeat probè perspectas. Nam & qvi vel casu, vel ex falsâ aut alienâ hypothesi veritatem tenet, non tam intelligit, qvàm divinat, neq; confusâ tali opinione aptus redditur ad actionem rectè regendam. Inde igitur seqvitur, nos primò omnium teneri, ut ad intellectûs informationem, ubi inscius est, atq; emendationem, ubi errat, omne nostrum studium adhibeamus, omnesq; illos ignorantiæ & erroris fontes, qvos suprà deteximus, sedulo evitemus, neq; vel sine causâ creduli vel contra evidentiam pertinaces, justam negligamus ad objecta attentionem, aut ad præceps de illis judicium abripiamur. Sic in proverbiis Salomoneis passim malè audit stultitia, & gentilium ignorantia, qvâ ad errores practicos rapiebantur, arguitur *Rom. I. 21. seq. Eph. IV. 17. seq.* Scientiæ v. augmentum ad rectè agendum commendatur & præcipitur *Matth. X. 16. 1. Cor. XIV. 20. Rom. XII. 2.* precibusq; à Deo flagitatur *Phil. I. 9. seq.* monemurq; ne cœco ductu lubricas opiniones & qvemvis doctrinæ ventum seqvamur *Eph. IV, 14.*

§. 14. Objectum intellectûs, qvod sub hoc præceptum cadit, est qvicqvid ad dirigendas actiones nostras scitu necessarium est, np. an etiam alicui superioris legi subsint, qvis omnium finis esse debeat, & an cum illo qvisqve finis particularis, qvem sibi qvis proponit, satis conveniat, qvibusq; mediis optimè obtineatur? ita qvidem, ut si qvæ actiones necessariæ sint, etiam illa cognitio, qvæ ad eas reqviritur necessaria sit, si qvæ verò liberè suscipiun-

piun-

piuntur, non nisi sub hypothesi illarum suscipiendarum, qvæ istuc pertinent, intelligere obligemur. Ita variæ hominum artes sunt, qvas nosse non obligamur, si tamen artẽ profiteri cupimꝰ, aut opus secundùm eam facere, aut qvidvis tandem suscipere, in qvo generalis alicujus aut inde dependentis particularis finis violandi periculum sit, omnino etiam scire tenemur agendi modum: Cognitio tamen de qvâqve re non major aut certior reqviritur, qvàm de illâ per naturam nostram haberi potest, ut de actionibus alienis, qvas ipsi coram non observavimus, certitudo moralis, de futuris probabilis & fundata spes, pro cujus pondere ipsam etiam actionem, qvæ illâ nititur, moderari decet. Ita ad ferendam etiam mortis sententiam sufficiunt duo testes, *Deut. XVII. 6. c. XIX. 15.* ad arationem spes, *1. Cor. IX. 10.* Desiderium autem sciendi res scitu nobis non necessarias qvousq; laudabile sit, & qvæ damnanda curiositas alieni secreti, suis locis, ubi de obligatione erga nos ipsos, & de humanitate erga proximum agendum erit, docebimus.

§. 15. Ubi obligatio est sciendi, ignorantiâ etiam & errore peccatur, eoq; gravius, qvò ignorantia vel error ille facilius corrigi potuit, atq; ut corrigeretur ad actiones nostras regendas intererat. Hinc ignorantia juris tum naturalis, qvod omnes norunt qvi attendunt, tum plerumq; etiam positivi seu divini seu humani, de qvo tanqvam plurium actionum normâ qvisq; imprimis solicitus esse debuit, minùs excusari potest, qvàm ignorantia facti, *vid. Act. XXIII. 5.* & magis facti alieni qvàm proprii, magis in puero & tyrone qvàm in adulto & magistro, *vid. Joh. III. 10. Heb. V. 12.* Ubi obligatio sciendi nulla est, *ignorantia puræ negationis* à Scholasticis vocatur, hæc verò qvæ legis æstimationi subest, ignorantia *privationis*, & qvia omnis error ignorantiam in se continet, & qvandoq; etiam ignorantiæ nomine venit, vocatur ille discriminis causâ, *ignorantia pravæ dispositionis.* Qvia autem vincibilis, uti dixi-

mus suprà, à negligentiâ attentionis oritur, interest, num illa negligentia à directo consilio reiq; contemtu fluat, qvæ *affectata & dolosa* dicitur, vel ab affectu tantùm rei alienæ, animum sic occupante, ut aliam attentionem excludat, & appellatur *culposa*. Culpa hæc pluribus qvidem gradibus distingvi potest, prout rei neglectæ dignitas & curatæ levitas facilius revocare animum potuit, communiter tamen apud JCtos trifariam distinguitur, in *latam*, qvam aliàs gravem diceres, qvâ negligitur, qvod facilè qvivis observaret, *levem*, qvâ id qvod diligens, *& leviſſimam*, qvâ id qvod acuratiſſimus observaret. Ceterum omnis qvidem etiam vincibilis ignorantia, & qvicqvid inde provenit, minore reatu nos involvit, qvàm destinatum voluntatis consilium, qvia formaliter & directè contra primum obligationis nostræ principium non dirigitur, *Conf. Luc. XXIII, 34. 1. Tim. I. 13.* nulla tamen etiam invincibilis ignorantia excusat facta inde promanantia ab omni reatu; qvare & David generaliter omnium veniam precatur *Pſ. XIX. 13* & populus pro ejusmodi admissis sacrificium offerre qvondam jussus est, *Lev. IV. 13. Num. XV. 24.*

§. 16. Cum etiam dubitatio sit qvidam gradus ignorantiæ, necesse est ut & illâ eodem modo peccemus, cum oboritur de rebus, qvas ad regendas actiones nostras scire oportuit, de lege, de fine universali, nostriq; particularis, mediorumq; cum eo convenientiâ. Sicut enim necessitas cautionis à præcipiti judicio non facit ut ignorare liceat, qvid agendum sit, eo tempore cum actio suscipitur, ita neq; facit ut liceat dubitare. *conf. Phil. II. 14. Rom. XIV. 5. 23.* Qvæ obligatio iisdem gradibus variat, qvibus ignorantiæ reatus. Unde non leviter peccat Cartesiana methodus, qvæ philosophatur[illegible]m de omnibus rebus, etiam de Dei existentiâ dubitare aliqvandiu & seriò qvidem jubet, interim dum ab actionibus vitæ tamen, & ab obedientiâ Deo præstandâ cessare non licet.

§. 17. At

§. 17. Attentio intellectûs ad hanc & omnem inde aliam legis divinæ obligationem, juncta cum actionum nostrarum secundùm eandem æstimatione, à Theologis *conscientia* appellatur: qvæ tamen vox qvandoqve actûs qvandoq; habitûs nomen est, qvandoq; solam habitualem notitiam principiorum practicorum denotat, quæ Græcè aliàs dicitur Συντήρησις, nisi qvòd syntheresis de solâ naturali ethicâ dicatur, conscientia etiam de revelatâ, qvandoq; à syntheresi ita distinguitur ut solam facti nobis nostri notitiam denotet; ideoq; pro diversâ significatione se & antecedenter & conseqventer ad actiones nostras habet. Cum igitur intellectus prævius qvamvis actionem hominis instruit, aut seqvens ejusdem vel rectitudinem vel deviationem animadvertit, τὸ Νόμιμ seu officium legis nobis præstat, aliqvid prohibendo, aliqvid imperando, aliqvid concedendo, & iterum actionem cum regulâ agendi collatam vel probando vel damnando, ita ut in progressu dianoëtico (ceu notare solent Theologi) lex divina syllogismi majorem constituat propositionem, actio nostra minorem, applicatio verò ejus seu æstimatio ad legem, conclusionem. Juxta qvos gradûs conscientia in propositione, legis, in assumtione, testis, in conclusione, judicis partes sustinet. Ubi tamen pro lubricitate humanâ sæpe accidit, ut certans cum rei evidentiâ affectio voluntatis animũ in diversa rapiat, & qvamvis nihil foris appareat, qvod illam curam injiciat, anxium tamen & turbulentũ reddat, *cogitationibus se mutuò accusantibus & excusantibus*, qvemadmodum Paulus conscientias ethnicorum describit *Rom. II, 15.* id qvod certissimum nobis futuri judicii testimonium est. Qvia autem omnis morum emendatio ab intellectu incipit & sine hoc prævio hominum de se judicio nulla sperari debet, factum est, ut admodum nobile sit in Theologiâ morali conscientiæ nomen, adeoq; ut pleræq; ejus institutiones hacten9 solâ *casuum conscientiæ* appellatione inscribantur, & omnis obligatio erga Deum obligatio conscientiæ appelletur.

§. 18. Distinguitur conscientia variè (1) respectu causæ obligantis

ligantis, in *rectam*, qvæ verâ ratione movetur, ut ita intelligat & de se concludat, ut res se habet, & *errantem*, qvæ aliâ ratione movetur ut aliter sentiat (2) respectu modi cognoscendi, in *certam*, qvæ judicat sine metu contrarii, *probabilem*, qvæ propendet qvidem in aliqvam partem, sed nihil definit, *scrupulosam*, qvæ ita definit, ut argumentis tamen in contrarium objectis satisfacere se non posse agnoscat, & sic à definitione factâ subinde quasi retrahatur, & *dubiam*, qvæ utrinq; incerta hæret. Ubi certam possumus denuo distinguere in *firmam*, qvæ ita persvasa est, ne facilè à sententiâ dimoveatur, & *infirmam*, quæ facilè impellitur ut aliter judicet. (3) respectu materiæ circa qvam, seu attentionis ad objecta, in *tenerâ*, qvæ minima qvæq; animadvertit, *securam*, qvam etiam *latam* vocant, qvæ nonnisi de gravioribus solicita est, *stupidam* & *cauteriatam*, qvæ qvasi cauterio usta planè dormit, nihil sentiens. (4.) respectu causæ conclusionis, in *bonam* seu *puram*, qvâ nil se peccasse homo animadvertit, seq; adeò absolvit, vel *malam*, *sauciam* seu *impuram*, qvæ reatum suum agnoscere seq; condemnare cogitur. (5) respectu effectûs inde exurgentis in *pacatam* sive hilarem, & *turbatam* sive anxiam. Qvia autem conscientia actus intellectûs est, per se patet, qvod eadē qvæ illius est, etiã hujus sit obligatio, tum activa, ut voluntatē ejusq; actiones suo judicio subjiciat, tum passiva ut ipsa in omni actione sit recta, *Rom. XII. 2. 1. Cor. XI. 31.* certa *Rom. XIV. 5. 22.* & per consequens etiam firma, *1. Cor. XV. 58. Col. I. 23.* tenera, *Eph. V. 15. 17.* bona, *1. Tim. I. 5. 19. Heb. XIII, 18. 1. Pet. III. 16.* pacata, *Rom. V. 1 seqq. Heb. X. 22. 1. Joh. III. 21.*

§. 19. Rectitudo qvidem intellectûs atq; conscientiæ ad bene regendas examinandasq; actiones nostras semper necessaria est, non tamen statim ut error irrepsit, cessat obligatio, qvâ conscientiæ tenemur. Qvia enim nostri nobis erroris intellectualis nunqvam conscii sumus, nisi cum illum deponimus, manifestum est, qvòd sive erremus sivè minùs, semper nobis ipsis æqvali ratione legem figamus, & in obseqvio conscientiæ præstito obseqvium Deo fieri credamus, juxta *Joh. XVI. 2. seq.* Unde neq; contra conscientiã etiam errantem qvid agere aut velle possumus, qvin contra Deum ipsum ejusq; legem nobis (nostrâ opinione) insitam velimus, & sic stultitiam contra rationem & peccatum contra Deum committere nil moremur. Neq; tamen propterea laudanda est actio, qvæ secundùm conscientiam errantem fit, qvippe quæ necessariò contra verum finem nostrum Deiq;

legem

legem fit, tantumq; ab officio nostro recedit qvantum ipsa mens nostra ab ejus cognitione aberrat. In rebus qvidem indifferentibus aliqvando recta potest esse actio, etsi secundùm errantẽ conscientiã facta, v. g. qvando qvis necessarium factu vel omissu esse putat, qvod tantùm licitum est, atq; adeò agit qvod omittere poterat, aut omittit, qvod poterat agere. Nihil enim contra legem aut officium facit, cum non imperata facit, aut non prohibita omittit, qvamvis erret, cum illa imperata, hæc prohibita esse censet. Inde est qvòd Paulus utriq; disputantium parti, & illi qvæ dies certos jejunii observabat, & illi, qvæ non observabat, auctor sit, ut suo qvisq; sensu abundet, atqve ita agat, ut se agere debere credit, qvamvis errarent, cum ejus rei se aliqvâ obligatione teneri crederent, *Rom. XIV. 5.* Qvando verò qvis licitum esse putat, qvod non est, graviori, aut quando illicitum qvod necessarium est, vel contrà, inevitabili peccandi necessitati implicatur, quam diu illum mentis errorem non detexerit; nam nec seqvi judicium suum potest, qvin violet qvamvis insscius verã legem Dei, neq; legi etiã divinæ actio ejus conformis fieri potest, qvin sit contra judicium mentis, adeoq; cum aliqvo peccandi animo conjuncta. Hoc qvi facit, in primum axioma practicum impingit, & (ut loqvi solent) peccat *formaliter*; illud verò qvi facit, impingit in secundum, & peccat *materialiter*: qvi verò contra conscientiam rectam agit, in utrumq; impingit, ac proinde & materialiter & formaliter peccare dicitur.

§. 20. Certitudinem juris exposcit conscientia, etsi facti certitudinem semper habere neqvit, id est, oportet nos certos esse, qvòd sic agendo non peccemus, qvamvis certi non simus, qvòd finem nostrum assequamur, aut res ita se habeat, ut videtur. Non tantùm enim multa sub probabili spe atqve opinione tentari possunt, in qvibus neq; prudentis neq; Christiani hominis officium læditur, sed & ipsa prudentia ejusmodi periculum facere, & ea de qvibus certus non es, præsumtione tamen pro veris habere, pietas jubet, ceu ex iis qvæ §. 6. diximus qvodammodo patet & suo loco explicatius patebit. Ubi autem à certitudine facti ipsa etiam juris ratio pendet, ut ni res ita se habeat, qvemadmodum opinamur, illicitum vel absurdum sit, qvod agimus, qvantâcunq; etiam probabilitate pictum appareat, omnino inde abstinendum est, qvamdiu dubitandi causa relinqvitur. Eventualiter enim contra Deum officiumq; suum agere

intendit, neq; voluntatem intellectus regit, cum plus in effectu est qvàm in causâ, & intellectum titubantem certa voluntas seqvitur. Eò magis absurda est famosa plurium Jesuitarum doctrina, qvi etiam contra nostræ ipsorum mentis judicium aliorum opiniones seqvi docent, qvasi auctoritate illorum factas probabiles: id qvod est vim sibi ipsi inferre, & directò contra primum agendi principium impingere, alienum potiùs qvàm suum intellectum atqve conscientiam seqvi, & sic naturalia omnia moralitatis fundamenta evertere. Cui absurditati ansam dedit commendatio cœcæ seu (ut vocat Cardinalis Cusanus) irrationalis obedientiæ, qvæ imprimis ab Ignatio Loyolâ discipulis facta, novæ illis perfectionis lauream qvæsivit, ut ejuratâ qvasi omni prudentiâ intellectûs humani cœco impetu ad instar jumenti aut cadaveris superioris ductum seqvantur. Qvi in divinam & infallibilem auctoritatem sic penitus judicium suum resolvit, rectâ certâq; id conscientiâ facit, juxta *II Cor. X. 5* qvia novit se fontem omnis veritatis atq; rectitudinis seqvi, qvamvis qvæ ejus voluntatis, qvâ ducitur, specialis ratio sit, ignoret: at qvi humanam sic auctoritatem sibi ducem elegerit, novit se voluntatis & actionis suæ causam certam non habere, & in avia qvæq; abripi posse, adeoq; stultitiam pro sapientiâ eligit.

§. 21. Cum autem in dubio est animus, neq; post adhibitam omnem diligentiam certam veritatem invenire potest, facile consilium est, ut eligatur pars tutior, præsertim si versatur qvæstio inter licitũ & illicitum, necessarium & liberum, ubi si abstineas à licito, & agas qvod fortè necessarium, nil peccas, peccas autẽ si qvod fortè illicitum est agas, aut qvod necessariũ omittas. Si verò qvæstio immediatè versatur inter necessarium & prohibitum, & utrinq; est periculum peccandi, sive agas sive actionem omittas, graviùs angi animum oportet, neq; evitari peccatum potest, anteqvam certiora docearis. Interim tamen & hîc consultum est, ut ex duobus malis eligatur minus, & cum omnino sine peccato esse neqveas, qvàm minimum pecces. Itaq; & peccati, qvod utrinqve timetur, & periculi ejus gravitas inter se comparentur, item excessus utriusq;, si reciprocè oppositus sit, ad se invicem, id est, si peccatum qvod utrinq; timetur æqvale videatur, eligatur id consilium, in qvo te peccare minùs certum est, si inæqvale utrinq; peccatum, sed æqvale utriusq; periculum.

lum fuerit, eligatur id in qvo minoris peccati periculum est; si verò majoris peccati minus periculum sit, ita ut alterum peccatum certitudine, alterum gravitate excedat, eligendum est id, cujus excessus minor est, v. g. si defendendus sit inops in causâ suspectâ, & hinc injustitia timeatur, si defendas, ut peccatum gravius, illinc autem inhumanitas, si deseras, ut peccatum certius, inæqvalitas autem hujus utrinq; certitudinis minor sit, qvàm inæqvalitas peccati, id est, si duplo videatur injustitia gravior si defendas causam, qvam inhumanitas foret certior si deseras, præstat deserere cùm metu inhumanitatis: sin inæqvalitas certitudinis major sit, qvàm peccati, id est, si duplo videatur inhumanitas certior, si deseras, qvàm injustitia gravius peccatum foret, si defendas, præstat defendere cum metu injustitiæ. Sive rò excessus utrinq; æqvalis appareat, ut tantò illic gravius, qvanto hic certius peccatum metuatur, vel æq; & grave & certum, præstat omissio, qvàm actio. Ubi enim in intellectu nulla est sufficiens causa, voluntatem determinandi, neq; etiam moveri aut aliqvid novi velle debet; accedente tamen ad perfectum ambigentis æqvilibrium qvâvis causâ externâ, nil obstat, qvò minùs ad agendum sufficiens videri possit.

§. 22. Firmitas conscientiæ pendet non tantùm à certitudine intellectûs, sed & à constantiâ voluntatis, ne rerum novarum amore aut qvovis alio desiderio mobilis sit ad qvamvis speciem recti amplectendam, viresq; intellectûs evertendas. Hinc contrà etiam fit, ut firmitatis persvasio facilè degeneret in pertinaciam, si nempe magis amore voluntatis, qvâm verâ rei evidentiâ ductus in sententiâ aliqvâ detinearis. Itaq; probè se ipsum qvisq; examinare debet, qvo animo veritatem amplectatur, & an sine præoccupatione voluntatis rationes ita attentè consideraverit, ut veritatis amorem omni alii studio anteponat. Qvod ubi factum fuerit, non à præsente tantùm errore, sed & à futuri periculo se immunem esse, qvisq; sibi conscius erit.

§. 23. Teneritatem conscientiæ multi considerant tanqvam superfluam, gratulati sibi qvòd non facilè angantur rebus minimis. At si perfectam Deus poscit sanctitatem & obedientiam, utiq; etiam perfectam reqvirit animi attentionem, ne qvid nobis leve videatur, aut curâ nostrâ indignum, in qvo tamen peccatum admittitur. Videndum interim est, ne qvæ tenera est, fiat aut præ-

postera

postera aut superstitiosa: ne præpostera, ut negligat qvæ majoris momenti sunt, curet qvæ minoris, ne superstitiosa, ut de iis, qvæ peccata non sunt, angatur, aut injectis dubiis futilibus se patiatur ab officio deduci. Etsi enim qvàm diu incertus hæres, nullus qvantumvis levis scrupulus contemni debet, ubi tamen ab alterâ parte infallibilis evidentia rationis te convictum tenet, scrupulum qvi ab alterâ parte injicitur, rectiùs qvandoq; negligi atq; cum solvi neqvit, violenter abjici, qvàm curiosè volvi, qvidam Theologi non abs re monent. Potest enim conscientia infirma qvantumvis in præsentiâ certa, facilè in errorem duci, multò magis scrupulosa potest, qvæ eo ipso, qvod scrupulo urgetur, suam infirmitatem prodit. Itaq; nullum qvidem peccatum nobis levius videatur, qvàm ut caveri debeat, sed & nullus incertus alicujus peccati metus à certo officio nos abducat.

§. 24. Bonitas tandem conscientiæ, & qvæ inde pendet ejus tranqvillitas, non tam ab ipso actu intellectus pendet, qvàm ab actionibus illis, qvarum est conscientia, ita ut posito peccato prævio non possit non esse mala *Tit. I. 15.* & cum attendit, etiam turbulenta atq; anxia, qvamvis sit recta. Proinde ut fiat bona & pacata, necesse est ut omnia peccata, qvotqvot unqvam admisimus, sint perfectè expiata, ita ut ne exprobari qvidem ampliùs possint. Cujus tamen rei in homine nullum est remedium, nisi inveniatur in fide Christianâ. Itaq; sangvine Christi oportet mundari conscientias, *Hebr. IX 14. c. X. 22.* per veram ac fiducialem fidem *Act. XV. 9. Rom. VIII. 15. seq.* à peccati continuatione nos abstrahentē, *1. Joh. III. 3. 1. Tim. I. 5.* unde & cum fide bona conscientia amittitur ac retinetur, *ib. v. 19.* Reqviritur autem ut rectitudo atq; certitudo ita & bonitas conscientiæ ad omnes actiones, ut dum agimus certi simus nos ita agere ut Deo placet, neq; qvicqvam contra officiū nostrum agere, *Rom. XIV. 22.* Et qvia nemo est, qvi non in omni bono opere ipsâ imperfectione peccet, *Eccl. VII. 21. Es. LXIV. 6.* & sic nemo, qvi ex dignitate operis præsumere possit, illud Deo acceptum esse, oportet ut ubiq; concurrat fides remissionis peccatorum & adoptionis nostræ per Christum, tanqvam fundamentum tum omnis virtutis tum apud Deum acceptationis, *Rom. V. 1. seq.* sine qvâ nemo potest Deo placere, *Heb. XI. 6.* neqve adeò ulla vel virtus vel actio Theologicè bona æstimari.

CAPUT IV.
DE
VOLUNTATE ET AFFECTIBUS.

§. 1.

INtellectum naturali ordine excipit voluntas, tanquam alterum actionum humanarum principium. Quod vocabulum perinde ut intellectus πολύσημον est, & vel facultatem vel habitum vel actum volendi significat, hîc autem in primo sensu accipitur, cum principium appellatur. Conceptûs hos malè confundit Spinoza, cum *epist. 2. ad Oldenb.* quoties de voluntate sermo est, eam non nisi pro generali & abstractivo volendi actu, qvi ab actuali qvâvis voluntate distinguatur ut species ab individuo, accipit & accipiendum esse censet, quasi nulla peculiaris in animo virtus detur, qvâ velle actu & ad aliqvid nos determinare possumus. Certè qvemadmodum musculorum & nervorum in digitis ea vis & potentia est ante omnem mentis operationem, ut variis modis flecti possint, qvæ non demum nascitur cum actu flectuntur, alioqvin ab aliis inertioribus membris eâ in re nil differrent, ita & animo suam vim inesse oportet, qvâ voluntatem actualem elicere potest, qvam non potest stipes. Ea autem vis ejus qvicqvid tandem sit, & undecunq; proveniat aut adjuvetur, illud alterum principium est, quod in doctrinâ morali consideramus, unde voluntates actuales & habituales fluunt.

Resp. Joh. Georgio Simon Hamvvart-Saxone.

§. 2. Appellatur hæc voluntas vulgò potentia cœca, qvòd ab intellectu tanquam prævio necessario lumine

ad objectum ſuum dirigatur, atq; hæc directio, ut ſecundùm primum principium practicum, quod ſuperiore diſputatione poſuimus, ſemper fieri debet, ita neque penitus tolli aut repudiari poſſit. Datur quidem in naturâ corruptâ ſæpe aliqua inquies animi & vagus voluntatis motus, triſtitia, horror, metus, fervor, deſiderium, gaudium, ubi tamen neſcias ipſe, cujus rei? quod præcipuè in infantibus obſervamus: veruntamen ut certi quid velis, neceſſe omnino eſt, aliqualem ejus rei conceptum in mente præcedere, ſecundùm vulgatum illud; *ignoti nulla cupido;* qui conceptus non tantùm objectivè voluntatem dirigat, ſed & modum ipſum volendi quodammodo ſtimulet, ut tibi cauſam aliquam volendi perſuadeas. Inde fit, ut quarum rerum memoria perit, pereat etiam voluntas, & ad multa ferantur ſenes & adulti, ad quæ non feruntur pueri, atq; ſicut ad plura ſimul percipienda inepti ſumus, ita etiam ad plura ſimul volenda ſimus. Quicquid autem intellectu aut phantaſiâ apprehendimus, ejus etiam aliquam voluntatem habere poſſumus, utut actu nullam habeamus. Creſcit enim cum intellectu etiam volendi vis, & quemadmodum ſucceſſivè plura intelligere, ſic & velle diſcimus, ita ut utriusq; in mente facultatis æq; latè pateat objectum, ceu experientia docet, falsòq; Carteſiani voluntatem magis quàm intellectum infinitam eſſe cenſeant.

§. 3. Primum, quod in doctrinâ morali de voluntate præſumitur, eſt *libertas*, quam communi quidem axiomate hodie & Philoſophi & Theologi agnoſcunt, attamen quæ ejus vera notio ſit, & quâ in re conſiſtat, magnâ partium contentione diſceptant. Nos diſputationem illam omnem, quæ in articulis de Providentiâ & libero arbitrio latiùs excuti ſolet, lubenter hîc præteriremus, niſi pro ſtatuminandis moralibus principiis pauca inde delibare neceſ-

necesse esset. Quia autem vocabula ex consensu hominum valent, de qvo hîc ambigitur, quid nos hac voce libertatis intelligamus, ante omnia exponere oportet. Est igitur *libertas*, nostrâ sententiâ, *vis qvædam animi se ipsum hîc & nunc ad agendum determinandi*, qvæ opponitur principio necessitanti alieno, sive in eodem subjecto sive extra illud existenti. Aliqvando liberum opponitur necessitati omni etiam intrinsecæ, sicut in Deo decreta libera ab attributis necessariis distinguimus: at hoc loco de eâ non agitur notione libertatis, qvæ respectu principii proprii, sed de eâ qvæ respectu alieni ita appellatur. Nam voluntatem etiam, cum ab internâ rectitudine ad obediendum Deo hîc & nunc determinatur, liberam esse dicimus, tantùm propterea quòd non aliunde determinetur. Ubi autem necesitas à causis externis proficiscens excluditur, indifferentia aliqua ratione illarum ponitur, sive quæ exercitii est, & inter terminos contradictorios versatur, sive quæ specificationis, & inter disparata hæret, ita ut quamvis res in se ipsâ indifferens non sit, nulla tamen vis in eam agens efficiat, quò minùs aliter se determinare possit. Eamq; optimam libertatis notionem esse remur, non quæ indifferentiam alterutram simpliciter dicit, sed quæ illam utramq; per causas externas salvam illæsamq; ponit.

§ 4. Qvia tamen determinatio sui, cum intellectum antevertit aut respuit, ex cœco qvodam impetu animi fluit, atq; sic impotentiam & imbecillitatem quandam regendi sui vel arguit vel affert, necesse est, ut in illâ ratio libertatis, quæ per vim seu facultatem quandam animi à nobis definitur, non consistat, sed in eâ potiùs, quæ intellectum ducem sequitur. Atque ita liber est is tantùm, qui rectum intellectum sequi, & pro ejus judicio se determinare potest, non liber, qui vel habere illum vel sequi nequit:

quo nomine & bruta liberum arbitrium habere vulgò negamus. Indifferentiam autem ad peccandum & non peccandum, ad notionem libertatis propriè non referimus, quia illa imperfectionis tantùm libertas est, ad damnum contrahendum, seq; suâ libertate exuendum. Sicut enim *agilis* qvis propterea dicitur, quòd possit movere corpus & transilire impedimenta illæsus, non quòd possit se movere cum sui læsione & transiliendo crus frangere, atq; ut jaculatorem appellamus non qui in vagũ, sed qui in locum certam tela vibrare potest, utut & illa quædam agilitas, & hæc quædam jaculatio sit: ita etiam verè liber quis dicitur à potestate agendi vel non agendi servatâ rectitudine primævâ, non à perdendi vel negligendi illam potestate.

§. 5. An verò ea libertas voluntatî competat, ut à se ipsâ determinetur, non levis momenti quæstio est ad fundamenta moralis Theologiæ rectè jacienda. Etsi enim qvantum ad rem seu substantiam actuum (ut vocant) perinde est, sive à se sive aliunde homo sui determinationem habeat, cum eadem semper actionis vel rectitudo vel obliqvitas sit, cuicunque tandem accepto feratur, multum tamen interest qvantum ad obligationem internam, quæ primum moralitatis principium est. Nisi enim sui juris est voluntas, & principium motûs habet in se ipsâ, omnis tollitur ab homine obligatio seqvendi rectum intellectum, neqve ejus vel stultitia vel culpa argui potest, ut latè aliàs contra Calvinianos ostendi solet. Qvod si Deus me aliâ qvâdam necessitate adstrictum tenet, propter quam tollere hanc harmoniam oportet, observandæ ejus obligationem nullam dedit, aut contradictionibus seq; meq; involvit: quod absurdum. Atq; id egit Spinoza, ut ethicam obligationem omnem everteret, cum ethicam scriberet, & unà cum legis naturalis sensu etiam legislatoris Dei agnitionem in conflictâ voluntatis ac cogitationum

num omnium fatali neceſſitate expunctum iret. Non enim conſiderandum eſſe hominem cenſet, ut qvi imperium in imperio naturæ exerceat, ſed qui in omni etiam cogitationum geneſi & voluntatis motu, tanquam pars naturæ, ejus communem ordinem ſequatur, in quo ſemper unum determinetur ab altero in infinitum, ſecundùm modos, quibus corpus afficitur, *part. 1. eth. prop. 32. & part. 2. ſchol. prop. 7. it. prop. 9. & 48. ſeq.* atq; adeò eâdem hypotheſi, quâ omnem voluntatem neceſſariam eſſe concludit, etiam primum motorem, primamque rerum cauſam tollit, & perfectum atheiſmum introducit.

§. 6. Sed leviores ſunt ejus machinæ, qvàm ut giganteos hos conatûs juvare poſſint, ſalvaque & Deo auctori omnium legislatio & voluntati ſua libertas manet. Nam illud poſtulatum de ſuccedente ſibi in infinitum rerum connexione & dependentiâ fatis ineptè probare ſatagit. *p. 1. defin. 2. & prop. 21. & 28.* inde ſcilicet, quia omne finitum finitur per aliud ejusdem naturæ, adeòqve non ex abſolutâ naturâ alicujus attributi fluit, quæ æterna & infinita eſt, ſed quatenus illud aliquomodo affectum eſt. Quæ ſubtilitas ſi in exemplo fiat clarior, eadem eſt ac ſi diceres; voluntatem v. g. cibi capiendi voluntatem determinatam eſſe, propterea quia non eſt v. g. voluntas lapidis projiciendi, ideoque non fluere illam cibi capiendi voluntatem ex abſolutâ ſeu univerſali & abſtractâ naturâ cogitationis, ſed à voluntate aliquâ determinatâ aliâ, np voluntate projiciendi lapidis, & ſic in infinitum. Ita cothurnata hæc geometricæ demonſtrationis ſapientia in pueriles reſolvitur ineptias, quibus determinatio rei interna cum externâ, & hæc cum cauſalitate cauſæ efficientis, miſerè confunditur. Nec alterius hypotheſeos major eſt felicitas, quâ *p. 2. prop. 7.* ordinẽ & connexionem idearum eandem eſſe vult, acrerum, *qvia nempe cognitio effectûs pendet a cognitione*

sitione causæ, non tantùm nihil distinguens inter cognitionem effectûs in sensu reduplicativo & divisivo, inter cognitionem scientificam & perfectam ac rudem & imperfectã, methodumque cognoscendi syntheticam & analyticam, sine quibus tamen distinctionibus axioma probari nequit, sed & dependentiam objectivam (de quâ agit axioma) ac subjectivam (de quâ loquitur propositio inde deducta) ideæ suæ imperitè confundens.

§. 7. Libertatem interim in voluntate humanâ & Scriptura S. agnoscit, cum consilii sui hominem habere potestatem dicit, *1. Cor. VII. 37. Act. V. 4. II. Sam. XXIV.* 12 & communis omnium sensus docet, qui quid agant, deliberant, & eligunt. Si quid esset extra voluntatem in nobis, unde illa determinaretur, vel motus corporis esset, quod vult Spinoza, vel judicium intellectûs, quod volunt Thomistæ cum Socrate & Platone. Sed motuum corporis voluntatem nostram determinatum effectum non esse facilè constat, quia certum est intellectu homines regi posse, & ante omnes corporis motûs ex argumentis rerum consilium capere, aut alterius voluntati obsequi, nec tantùm velle agere cum agunt, sed etiam antequam agunt. A judicio autem intellectûs suspensam simpliciter non esse volendi vim, probat experientia tum arbitrariæ electionis, ubi judicio intellectûs inter eligibilia nulla est discretio, tum malitiæ eorum, qui peccant contra conscientiam non tantùm honestatis sed & utilitatis suæ. Separabilem esse à virtute cognitionem agnoscit Paulus, *1. Cor. VIII. 1. c. XIII. 2.* hominesque etiam contra mentis judicium suæ voluntati obsequi, *Rom. I. 23. c. II. 21. seq. Tit. III.* 11. *conf. & Luc. XII.* 47. & quid frequentius est, quàm incontinentiâ gulæ ad certos morbi dolores ruere? Quod si hominem primum consideremus, ut fuit in paradiso, dici non potest,

quòd

quòd error primus ipsi abintellectu provenerit magis quàm à voluntate, ubi & ipsam inadvertentiam mentis ab avocatione ejus voluntariâ oriri oportuit, neque error obrepere potuit intellectui, nisi præcipiti voluntate abducto. Et miramur sanè cl. virum, qui *c. 6. n. 6.* monet, quòd non liceat sentire quid velis, & sic intellectum â voluntate trahi posse agnoscit, scribere tamen *ib. n. 3.* fontem omnis mali in intellectu esse.

§. 8. Libertas tamen, quam voluntati asserimus, non universalis & absolutè perfecta est, sed restricta & secundùm statum moralem & secundùm naturalem. Pro morali quidem statu certum est experientiâ, quòd ut quis habitum alicujus rei induit, difficulter admodum possit in contraria moveri, sed quamvis in iis, quibus assuetus est, multivariam se exerceat, erigere se tamen ad consuetudinem deponendam non æquè idoneus sit. Ita igitur postquam in labem peccati originalis incidimus, animus habitualiter pravus ad volitiones pravas tantopere suâ naturâ delabitur, ut nullum veræ perfectæque virtutis actum edere, vel sine Spiritu S. appetere etiam seriò possit, atque interim ad illos, qui nulli legi divinæ adstricti sunt, imò etiam tales qui speciem aliquam boni habent, satis indifferenter se gerit. Postquam verò Deus gratiam conversionis largitus est, redit etiam ad bonum libertas, *Joh. VIII. 36. II. Cor. III. 17.* quamvis subinde languida, atque ut hinc spiritu sustentata, ita illinc carnis illecebris vellicata. Hinc libertatem optionis boni & mali *Deut. XXX. 19. Jos. XXIV. 15.* & libertatem pugnæ adversus peccatum *Gen. IV. 7. Rom. VII. 11. seq.* homini Deus tribuit, donec eò perveniamus aliquando, ubi sine pugnâ & labendi periculo æternâ rectitudinis libertate fruamur. Pro statu autem naturali experimur primùm, quòd ut variat corporis temperamentum,

tum, & fortiores sunt motûs spirituum in unam quàm in alteram partem, faciliùs etiam voluntas ipsa hominis vel cedat vel resistat. Unde alii iræ moderandæ minor libertas est, alii veneris, alii potûs, alius ad profundendas opes pronior, alius ad corradendas, alius morosior, alius blandior &c. Deinde cum rationis usus intercipitur, turbatiq; cerebrum spiritûs agitant, ut deliris atq; ebriis & plerumque etiam somniantibus accidit, intercipitur etiam usus libertatis, qui in eo consistit, ut ratione nos regi patiamur; a quibus igitur ad vigilantes & sobrios malè argumentatur Spinoza. Dum enim obruuntur conceptibus, ut quid agant, examinare nequeant, animus jam ante æger prono impetu ad motûs suo vitio conformes & varietate monstrosos sine fræno vertitur, secus atq; fit cum examinare conceptûs suos licet. Tantum igitur perfecto æquilibrio libertatis ubiq; decedit, quantum in alteram partem natura præponderat.

§. 9. Deus etiam ipse cum peculiari providentiæ actu sæpe voluntatem inclinat, non tantùm objectivè, subministrando illa objecta, in quæ potiùs quàm in alia vult pronum hominis impetum ruere, easque objectorum circumstantias, quarum consideratio ad alia ipsum consilia vertit, sed & effectivè, ipsam volendi facultatem viribus instruendo movendoq; , ut ad id qvod nolebat antea, vel neq; velle poterat, postea feratur, secundùm *Prov. XVI. 1. c. XX. 24. c. XXI. 1. Jer. X. 23.* aliqvid de libertate ejus delibat, ne æqvali semper ratione homo sui compos sit, sed & aliqvando ipse causam motûs sui miretur. Interim omnem libertatem non aufert, sed ultima sui determinatio in hac inclinatione divinâ voluntati regulariter salva manet, perinde ut illi, cui gressûs dirigit pedemq; promovet ductor, liberum est ut resistat. Nam cum & illa operatio Spiritûs

S. quæ

S. qvæ ad converſionem hominis dirigitur reſiſtibilis ſit, juxta *Eſ. LXV. 12. Matth. XXIII. 37. Act. VII. 51.* magis de aliis providentiæ actibus idem præſumi debet, qvandoqvidem Deus ſcopum ſuum etiam renitente voluntate per impeditionem executionis obtinere poteſt. Boni autem vel mali angeli qvibus modis incitare voluntatem hominis poſſint, qvæſtio eſt qvæ magis temerè qvam certò a nobis definiretur: id tamen aſſerere poſſumus, qvòd cum Deus voluntatem ſuâ libertate nunquam exuat penitus, neque hos id poſſe, atq; ita motûs ſpiritûs mali Saulem & Davidem incitantis *1. Sam. XVI. 14. c. XIIX. 10. 1. Par. XXII. 1.* illos culpâ non exemiſſe conſtat.

§. 10. Accidit etiam quædam libertati imminutio à coactione & perſvaſione externâ, qvâ homo in hominem agit. Eqvidem coactio directa libertatem planè deſtruit, qvippe quæ à determinatione non aliter differt, niſi qvòd conatum obnitentis includit, unde voluntatem directò cogi non poſſe, ſed flecti tantùm, vulgato verbo dicitur: attamen indirecta ejus coactio ſatis freqvens eſt, qvæ fit propoſitione aliorum objectorum, qvorum conſideratio nos à priori voluntate abducat, ut qvod abſolutè diſpliceat, ſaltim comparatè ut majoris vel boni obtinendi vel mali evitandi medium placere incipiat. Neq; illa coactio minis tantùm, ſed & blanditiis fit, qvalibus Delila Simſonem vicit *Jud. XVI. 16* & precibus, qvibus injuſtum judicem obtundebat vidua *Luc. XIIX. 3. ſeqq.* Non omnis tamen ejusmodi impulſio eſt coactio: nam ſicut gradibus variat flexibilitas animi ad id, qvò alienis artibus impellimur, ita & variat impellendi vis. Hinc diſtinctio vulgò nota eſt non tantùm actûs *ultronei*, qvi planè à voluntate procedit, *ſpontanei*, qvi ad invitationem alienam, ſed blandam, & *coacti*, qvi ad incitationem moleſtam oritur; ſed

& ipsius coacti, in id factũ qvod simpliciter, & quod secundùm quid tale est, quodq; in se ipso, quod in causâ suâ, & quod utroq; modo coactum est, Potest enim quis causam dare coactioni, ut cum provocat ad certamen sibi malè succedens, potest vim cogentem pati, & ejus tamen eventum enixè velle, ut victoriam certaminis ingrati, potest & tam causæ qvàm eventui æq; obniti, ut certamini & cædi hostis inde obortæ. *Invitum* vocant aliàs ethici, qvod spontaneo opponunt; sed hujus vocis vis quandoq; arctior est, ut à coacto distingui debeat, notetq; id quod sine omni consilio vel consensu nostro fit, & planè neq; voluntatis actio est, sed passio potiùs quædam, casus aut vis membris illata; ita v. g. lapsus corporis invitis accidit, & quod lapsu lædimus, inviti potiùs quàm coacti lædere dicimur. Subjacet autem quod hoc sensu invitum dicitur, iisdem iterum distinctionibus, quibus coactum, ut vel simpliciter vel secundùm quid, vel in se vel in causâ vel utroq; modo invitum dicatur: ad quam postremam classem pertinet quod invitum per ignorantiam appellatur, ut distinguitur ab eo quod ignorans quidem, non invitus tamen feciſti.

§. 11. Actûs voluntatis alii sunt eliciti, qui soli volendi potentiæ debentur, neq; aliud sunt quàm ipsissimæ voluntates actuales, alii imperati, qvi à voluntate egrediuntur, & mediante potentiâ locomotivâ, ut vocatur, seu ancillante ipsi vi qvâdam movendi membra efficiuntur. Hi sunt, secundùm qvos vulgò voluntatem cogi posse ajunt, secundum illos verò non posse. Sed hæc sententia inde oritur, qvòd pro actu elicito tantùm considerant illum voluntatis nisum, qvo mallemus non cogi, & illud incommodum simpliciter tolli, ad qvod amovendum nunc id cupimus ceu minus malum, qvod omnino nollemus, si plenâ libertate frueremur. At considerandum est, qvòd actus imperа-

peratus semper elicitum præsupponat, neq; possit qvis sciens agere ad minus malum habendum, nisi id minus malum etiam velit, atq; sic etiam ad hunc elicitum actum, id est, hoc quod agimus volendum, coactio extendatur.

§. 12. Ob concursum qvem voluntas habet cum intellectu, distinguitur elicitus actus ejus in subitaneum & deliberatum; ille est qvi judicium intellectûs antevertit, hic qvi seqvitur, & qvatenus actu reflexo placet, dicitur proæreticus. Nihil enim est proæresis nisi voluntas voluntatis nostræ, & qvia actum reflexum infert, brutis animantibus non tribuitur. Præcedit illam deliberatio generaliter dicta, ut qvamvis rei considerationem denotat, non autem semper specialis illa, qvæ ambiguum deliberantis consilium indigitat, qvia sæpe perstat in consilio suo voluntas sine hæsitatione immobilis & certa, sive contra conscientiam recti, sive secundùm illam. Sic omnis voluntas continuans videtur esse proæretica, cum fieri vix possit, ut quis diutiùs in eâdẽ voluntate sit sine reflexâ ejus consideratione & approbatione. Aristotelici deliberationem & proæresin, magis considerant politicè qvàm ethicè, cum voluntatem esse finis dicunt, has mediorum. Nam de mediis ad finem ducentibus qvà talibus non est deliberatio ejus, qvi qværit qvid rectè vel secus fiat, sed ejus, qvi qvid utile vel inutile sit, disputat. Unde patet qvinq; principia actionum moralium in scholis peripateticis decantata non tantùm planè tumultuariè collecta esse, cum partim sibi sint subordinata, ut voluntas & spontaneum, partim disparata, ut deliberatio & voluntas, partim contraria, qvæ in unâ simplice actione concurrere neqveunt, ut spontaneum & invitum, sed & aliena, qvòd partim non ad rectitudinem, sed utilitatem actionum pertineant, tum etiam inadæqvata, qvia non in omni actione mediorum ratio habe-

habetur, aut plura media dantur, ex qvibus præelectio instituì possit.

§. 13. Voluntas subitanea adscribitur vulgò appetitui sensitivo, tanqvam distinctæ â voluntate facultati. Qvia enim peripatetici animas vulgò tres in homine effingunt, & sensitivam à rationali aliam esse censent, ideò & convenienter suæ hypothesi non tantùm facultatem cognoscendi, sed & ad cognita se determinandi geminant, & appetitum sensitivum tam subjecto qvàm objecto à voluntate distinguunt. Cum autem Theologi nostrates secundùm phrasin S. Literarum non nisi unam in homine agnoscant animam, qvæ & יחידה id est, *unica*, appellatur *Ps. XXII. 21.* perit illa diversitas subjecti, qvæ præcipuum hîc distinguendi fundamentum est. Alii igitur sicut rationem & sensum, ita & vim determinandi se secundùm utrumq; hunc intellectûs fontem, ut ejusdem animæ distinctas potentias, superiorem & inferiorem considerant, qvarum hæc cum brutis nobis communis sit, non item illa. Non improbamus qvidem distinctionem; attamen extrinsicæ tantum denominationis esse arbitramur, cum principio movente externo tantùm, nec objecti differentiâ aliâ, nisi qvæ à principio movente externo petitur, potentiæ distinguuntur. Major illa certè voluntatis perfectio est in homine, qvâ se continere & movere suo imperio potest, & sic judicium recti intellectûs expectare, qvàm est in appetitu simplice, qvalis etiam brutorum est, qvæ non nisi impetu feruntur: at gradûs perfectionis non multiplicant ipsam volendi facultatem in eodem subjecto, neq; dum subordinati sibi sunt, disparatis indigent principiis. Cessat igitur nobis qvæstio illa apud peripateticos ardua, utrum in voluntate an in appetitu sensitivo virtus sedem suã habeat? qvandoqvidem eadem volendi vis est, qvæ intellectũ

lectum tam sensu qvâm ratione rectâ informatum seqvi debet, & qvæ cum intellectum rei verum antevertit, sive sensum sive ratiocinationem aliqvam primo obviam seqvatur, semper peccat. Cessat etiam conficta illa naturalis pugnæ necessitas, qvam ob diversitatem facultatum, earumq; objecti proprii Scholastici sibi imaginantur, cum sola voluntas utriq; cognoscendi principio subjecta, non à peculiari qvâdam virtute, aut abobjecti naturâ, sed suo solo vitio præceps, & ortæ inde deordinationis in homine causa sit.

§. 14. Qvia autem judicium intellectûs potest esse tardum, & post multam attentionem ad objectum ejusq; causas & effectûs demum formari, atq; interim varie impelli atq; retrahi à motu voluntatis, gradûs inter subitaneam obreptionem & proæresin plures possunt numerari, v.g dum (1.) attenditur ad objectum (2.) accedit subita voluntas (3.) attenditur ad voluntatem (4.) placet illa attentio (5.) suspenditur interim judicium (6.) idem cum voluntate luctatur (7.) tandem vel vincit, ut voluntatem inhibeat, vel vincitur, ut ab eâ in consensum rapiatur. Qvæ res scholasticis distinctionem peperit inter motûs concupiscentiæ non tantùm *primos*, qvi prioribus nobis gradibus hîc describuntur, & *secundos*, qvi postremo: sed & primorum iterum in *primo-primos*, qvos sub n. 2. indigitamus, & *primo-secundos*, quos sub *n. 4. & 6.* complectimur. Non aliter gradûs in voluntate pravâ distinguit Jacobus *cap. I. 14. seq.* cum nos tentari dicit, qvando *à concupiscentiâ* seu habituali inclinatione animi *abripimur*, qvi raptus est motuum primo primorum, *& inescamur*, qui sunt motûs deliberationis, seu secundo-primi; post qvam inescationem concupiscentia *concipiat*, nempe propositum, qvi est motus secundus, & inde excludat seu *pariat peccatum* ipso opere.

§. 15. Lucta autem non semper est inter voluntatem & intellectum, sed sæpe etiam voluntatis cum voluntate, cum np. diversarum utrinq; rerum cupido animum distrahit, qvarũ una necessariò excludit alteram. Qvemadmodum enim dubius sæpe intellectus fluctuat, & diversis secum argumentis luctatur, ita etiam diversis sæpe cupiditatibus fluctuans voluntas hinc inde impellitur. Ita avaritiæ & superbiæ, libidinis & vindictæ &c. conatûs variis solent animum motibus agitare, anteqvam alteruter impetus prævaleat, vel mutuâ in se vi fracti ambo conqviescant. Ejusdem generis, etsi longe nobilior, est lucta spiritûs & carnis, qvam in se renati experiuntur, adversis animum motibus, illinc sanctis à S. Spiritu excitatis, hinc profanis, ab inhærente originali vitio ortis, ad mutuum certamen concurrentibus. Unde fit, ut faciamus quæ nolumus, & ab iis, quæ volumus, retrahamur, *Gal. V. 6. Rom. VII. 19. seqq.* Huc referimus etiam subitas animi mutationes, qvibus qvod modò placuit consilium, iterum displicet, & mox novâ succedente voluntate ad pristinum propositum reditus fit: qualis inconstantia plerumq; non ab intellectu provenit, sed intellectum potiùs secum ad ambigua judicia abripit.

§. 16. Ad objectum suum se habet voluntas ut motus ad terminum, & ut ille vel *ad quem* vel *à quo* est, ita & motus voluntatis duplex est, alius *appetens*, alius *fugiens*, ille ad rem nobiscum conjungendam, hic ad illam à nobis disjungendam, ille *voluntas* in specie dicitur, hic *noluntas*, positiva nempe, qvæ à noluntate negativâ, seu solâ negatione alicujus circa rem noluntatis multùm differt. Objectum formale voluntatis in specie sic dictæ, id est, in qvantum & sub qvâ notione appetitur, appellatur *bonum*, noluntatis *malum*. Qvod enim appetimus, ut bonum

quid

qvid, id est, gratum & conveniens nobis appetimus, qvod verò fugimus, fugimus ut malum seu ingratum & disconveniens. Appetitur autem aliquid vel propter se ipsum, vel propter aliud: illud est, qvod bonum *jucundum* vocatur, & rationem finis habet, hoc verò, qvod *utile*, & habet rationem medii. Qvod ut utile appetitur, potest simul etiam appeti ut jucundum, potest etiam perse planè ingratum esse, & gratum tantùm propter id ad qvod creditur prodesse, sive illud sit alicujus majoris mali effugium sive majoris boni lucrum, cujus jucundior contemplatio omne rei intermediæ tædiũ superet: qvale est objectum nõ tantũ voluntatis coactæ, sed & sæpe spontaneæ ac ultroneæ. Utrũq; & utile & jucundum spectatur vel respectu solius actualis voluntatis, vel simul etiam respectu recti intellectûs, & inde manantis officii nostri, ut denotet, qvod jucundum esse, & vel ut tale vel ut utile ad illud appeti per primam moralitatis regulam necessariò debebat, qvod vocatur bonum *honestum*, aut liberè poterat, qvod dicitur *indifferens* (qvanqvam, qvod probè notandum, vox honesti in latiore significatione etiam qvod indifferens est includit) aut omnino non debebat, & hoc illud jucundum & utile est, qvod in doctrinâ morali malè audit. Iisdem modis etiam distinguitur malum Fugit enim aliqvid voluntas vel propter se, qvod ingratum & injucundum est, atqve si ita fieri debet, *turpe*, vel propter aliud, quod vel inutile vel etiam noxium. Quia autẽ non omne id cum adest, pariter gratum vel utile aut ingratum etiam & inutile esse experimur, qvod absens ut tale vel appetimus vel fugimus, & licet in præsentiâ tale sit, sæpe tamen illum postea effectum affert, qvem si rectè consideraremus, aliter circa id afficeremur, hinc distingui solet bonum malumqve in verum & apparens, ut in alterutrum semper ferri voluntas ac noluntas hominis dicatur.

§. 17. Re-

§. 17. Regulam hanc, qvòd voluntas semper feratur in bonum vel verum vel apparens, Plato intellexit de bono honesto, atqve inde concluſit, neminem ſponte malum eſſe, nec in vitium qvenqvam labi niſi decipiatur, & ſic omne, qvod turpiter ſit, fieri ab invitis. Sed hunc ſenſum regulæ eſſe contra communem experientiam, jam tum §. 7. docuimus. Certè bonum verum & apparens, de qvo canon loqvitur, cum honeſto & turpi non eſt ſimpliciter idem. Nam qvod ſeqvuntur homines, non apparet ſemper ut honeſtum, ſed plerumq; tantùm ut jucundum, ideoqve nec bonum qvod apparenti tanquam verum opponitur, id eſt, qvod tale eſt qvale apparet, ſtatim honeſtum eſt, neqve id omne turpe, cujus expectatio volentem fallit. Qvin etiamſi dicas, honeſtum eſſe ſummum bonum, qvod maximam conſtantiſſimamq; jucunditatem affert, certum tamen eſt, nos boni ſemper maximi imaginatione non trahi, ut id tantùm velimus, quod nobis gratiſſimum fore credimus, ſed quod in præſentiâ gratiſſimum eſt. Alii igitur axioma illud vertunt in præceptum officii, cum illud primum principium practicum faciunt, *omne bonum appetendum & omne malum fugiendum eſſe*. Quæ ſententia, de bono honeſto & malo turpi intellecta, ſatis proba eſt: attamen ſi illud honeſtum, qvod ſequi oportet, tantùm à gradu & menſurâ jucunditatis æſtimare velles, peſſimus ille docendi ordo foret, ſin minùs, dari aliquod honeſtum & turpe hic canon potiùs ſupponit quàm probat, neque ad inveniendum quidnam tale ſit, magis prodeſt, quàm ad inveniendam certitudinem rerum prodeſſet, ſi contra ſcepticos primum principium theoricum tale poneretur: *omne verum affirmandũ & omne falſum negandum eſt.*

§. 18. Porro quemadmodum motus dupliciter conſiderari poteſt, tum ratione viæ ſeu lineæ directricis, tũ ratione accelerationis, ita & voluntas poteſt conſiderari tum

tum ratione intentionis objecti, tum ratione intensionis volendi. Utroq; respectu diversis gradibus distinguitur. Respectu intentionis est (1.) vel *directa* vel *indirecta*, illa est quæ in ipsam rem fertur, hæc verò quæ in aliud qvid, cui tamen periculum hujus rei conjunctum esse eo ipso tempore novimus, & priusqvam desistamus, malumus ambiguum rei eventum experiri. Talis est voluntas occidendi, cum armis, & perdendi, cum aleâ certatur, item eorum, qui scandalum præbent, aut qvocunq; laxo modo de alienis delictis scienter participant (2.) utraq; hæc voluntas vel *explicita*, qvæ determinatè in rem fertur, vel *implicita*, qvæ in eam fertur, ut generali & confuso conceptui substat. Hoc modo qui vult cædem hostium, per consequentiam vult etiam cædem Titii & Caji, qui inter hostes sunt, qvamvis specialiter mallet eos non lædi. Huic distinctioni (3) affinis est alia in voluntatem *generis*, quã *indeterminatam* rectè appellares, qvæ optionem liberam alii relinqvit, & *speciei vel individui*, qvæ determinatè eligit. Nam in eo tantùm differunt, quod ab implicitâ voluntate fiat descensus copulativus, à generis voluntate disjunctivus. (4.) & ipsa tam explicita ac speciei qvàm implicita & generis voluntas alia est *absoluta*, sive ut JCti loqvi solent, *pura*, qvæ rem simpliciter vult, alia *conditionalis*, qvæ à re vel eventu alio nondum determinatè certo sive affirmativè sive negativè suspenditur. (5) absoluta iterum vel *simplex* est unius solius rei, vel *modalis*, quæ aliqvid aliud rei annectit, ut in tali tantùm, non alio nexu eam velit; qvalis est non tantùm illorum, qvæ de jure civili sub cautione Mutianâ auferunrur (qvæ magis sapiunt naturam conditionis) sed & illorum, qvæ in diem & ex die legantur vel in stipulationem ducuntur, & generaliter omnium, qvæ non qvomodocunq; sed certâ ac determinatâ ratione placent. Dif-

fert autem voluntas conditionalis à modali, qvòd conditio voluntatem suspensam teneat donec existat, atq; ita sit qvodammodo causa volendi, non item modus.

§. 19. Respectu intensionis volendi est voluntas (1.) alia propriè dicta, qvæ & *formalis* à qvibusdam appellatur, qvæ re ipsâ qvid intendit, alia *interpretativa*, id est, cujus obligatione perinde teneris ac si ipse idem velles & intenderes, idq; vel propterea qvòd jure velle debeas, vel deberes, si rei conditio innotescceret, qvalis est consensus in pœnam cum consentis in delictum, qvalisq; occurrit in qvasi contractibus JCtorum, vel qvòd ejus avertendi cura tibi levis sit ad alia magis intento, qvalis occurrit in culpâ & aliqvibus qvasi delictis (nam qvarundam actionum, qvæ ita dicuntur, æqvitas à solâ conveniendi & sua recuperandi facilitate pendet) vel deniq; qvòd qvæ nunc non est, tamen sequatur voluntas, & factum ratihabeat. (2.) formalis iterum vel *permissiva* est vel *approbativa*, hæc cui res ipsa placet, illa cui tantùm placet, eam non impedire. (3.) approbativa iterum vel *simplex seu absoluta* est, cui res per se ipsam placet, vel *comparata*, cui tantùm propter aliqvid aliud placet, qvod per illam qværitur; qvalis est etiam voluntas coacta, & in genere omnis, qvæ fertur in bonum utile qvà tale. (4.) absoluta porrò vel est *efficax*, qvæ ad conatum aliquem rei attingendæ progreditur, vel *simplicis complacentiæ*, quæ in solo voto subsistit: quæ distinctio etiam valet in voluntate conditionali, prout conditionem vel desiderat vel minùs. Porrò ut conatus ille pluribus gradibus intentionis & influxûs distingui potest, etiam prout quis vel directò vel indirectò, consilio, laudatione, incitatione &c. ad idem concurrit, ita & (5.) voluntas efficax pluribus gradibus vel *fervida* vel *langvida* esse potest, & (6.) fervida quoq; voluntas vel *ordinata*, quæ sub certo

agendi

agendi modo quid cupit, & *absoluta*, quæ quocunq; modo atque medio. In quibus omnibus distinctionibus notetur imprimis, quàm variè vox *absolutæ* voluntatis accipiatur, & ex oppositio sibi membro explicari semper debeat.

§. 20. Dantur & aliæ voluntatis distinctiones, ratione subjecti, signi & effectûs. *Ratione subjecti* distinguitur in *formalem* & *virtualem*, quarum illa est (alio nunc sensu, quã suprà) ejus qui suâ sibi propriâ voluntate gaudet, hæc ejus qui in causâ seu radice suâ continetur, ejusq; tanquam communi sibi aliisq; voluntate velle intelligitur. Id quod tum physicè tum moraliter explicari potest. Physicè, cum quis nondum existit, sed in parentibus majoribusq; etiamnum latet, ut Levi in Abrahamo cum decimas acciperet Mechidesecus *Heb. VII. 10.* quorum voluntas etiam liberorum esse intelligitur, si voluntatem eorum propriam & formalem, postquam nati sunt, alterat, sicut illa dicuntur in radice suâ quid passa esse, quæ effectum inde notabilem in se derivarunt; quomodo non tantùm peccatum protoplastorum, sed & eorum propiorum nobis parentum, à quibus habituales ad certa objecta inclinationes hausimus, nostrum est, ceu docemus in art. de P. O. Moraliter autem continetur voluntas nostra in alienâ, sub cujus tutelâ & imperio sumus, ut illam oporteat sequi, quo sensu virtualis voluntas coincidit cum interpretativâ; tumetiam sub ejus voluntate, cui potestatem statuendi liberam dedimus, quo sensu coincidit cum implicitâ. *Ratione signi* distinguitur voluntas in *tacitam* & *expressam*, quarum hæc est quæ verbis vel signis apertis proditur, illa quæ obscuris, vel ex ipso silentio concluditur, quando vel certum vel probabile est, si alia esset voluntas, fore ut indicetur. *Ratione effectûs* verò distinguitur in *efficacem*, alio iterum sensu quàm suprà) qvæ finem suum obtinet, & *inefficacem*, cujus conatus fustraneus est. Ad quæ omnia accedit

dit tandem & consideratio eventûs, qui casu vel sequitur vel avertitur. Quæ omnes quidem voluntatis divisiones ratione ad suas classes ordinantur, sed veritatem illarum ipse interior sensus & experientia docet, observatio autem accurata earum ad rectum de officiis hominum judicium instruendum multùm prodest.

§. 21. Nempe *primò* quò voluntas firmior vehementiorque est, eò magis est voluntas, magisque digna ut pro voluntate habeatur atq; imputetur, & sic etiam majoris in suo genere voluntatis major seu bonitas seu pravitas est, minoris minor. Ita ratione principii major & vis & culpa est in voluntate hominis sani & vigilantis, & qui sui compos est, quàm phrenetici, furentis & somniantis, vel etiam ebrii, major in ultroneâ quàm in spontaneâ, & in hac major quam in coactâ voluntate, juxta *II. Cor. IX. 7. & Job. XIX.* 11. nec non major in eâ, quam nostris viribus elicimus, quàm eâ, quæ alienis sustentatur, *1. Cor. IV. 7.* major deniq; in sciente & considerante causam omnem, quàm in nesciente & non considerante, *1. Tim. 1. 13. Luc. XXIII. 34.* ita tamen ut in omnibus his etiam minùs firmæ voluntati sua vis & culpa sit, *Lev. V. 4.* Ratione extensionis plus voluntatis, & sic etiam plus bonitatis vel pravitatis est in volendi consuetudine & habituali voluntate quàm in actuali, plus in proæreticâ & certâ, quàm in subitaneâ & fluctuante, in motibus secundis quàm in primis *Gen. VI 5.* atq; eo nomine gravius videtur Paulo, delectari alienis peccatis, quod permanentis voluntatis est, quàm ipsummet ad ea abripi, quod subito impetu fit, *Rom. I, 32.* idem dixeris de illis, qui peccatum docent, *Matth. V.* 19. Ratione intensionis superat æstimatione tali absoluta voluntas ordinatam, fervida languidam, efficax nudum votum, simplex comparatam, approbativa permissivam, formalis interpretati-

tativam; & sic etiam ratione effectûs, quæ expressiore signo declaratur, & enixiore conatu ad effectum procedit, vehementior esse intelligitur, & in suo quæq; genere majore vel laude vel vituperio digna. conf. *II. Cor. VIII. 8.* Ratione intentionis, directa, explicita, determinata quæ speciei est, absoluta, simplex, excedit eâdem æstimatione indirectam, implicitam, indeterminatam, conditionalem, modalem. *Deinde* pro mensurâ crescentis ex morbo furoris, ebrietatis, coactionis, libertas volentis fit minor, & proinde minor esse debet voluntatis imputatio; quò major autem volendi mora aut certitudo fuerit, major etiã voluntatis virtus vel vitium est; & cum gradibus intensionis crescunt gradûs justæ imputationis. Sic etiam ut rei, qvæ indirectè intenditur, majus periculum est, directior ejus voluntas est. *Porrò* lucta adversus vim & tentationes majores ut operosior ita etiam in objecto honesto glorioſior est, quàm adversus minores, & correctio consuetudinis ejusq; inclinationis, ad quàm ipsum temperamentum corporis aut educatio domestica ducit, plus bonitatis atq; laudis habet, quàm correctio ejus, quod semel aut bis peccatum erat, conf. *Luc. XV. 7. 10.* & quò temperamentum corporis non æquè pronum est. Contrà verò repugnantia & contemtus vehementioris incitationis atq; adjumenti ad id quod rectum est, majore turpitudine voluntatem involvit, *Matth. XI. 41. seq. Act. VII. 51.* & sic obsecundatio ad vitium, quod temperamento educationique adversum est. *Præterea* ut subitanei voluntatis motûs, qvi judicium intellectûs antevertunt, semper peccant, ita repressionem illorum semper bonam esse oportet, eòq; meliorem quò citior est: atq; ita præstat repressio motuum primorùm qvàm secundorum, suiq; moderatio in ipsâ ebrietate, somnio, phrenesi, habitualis animi moderationis, quæ neq; vaga phantasiâ corrumpa-

rumpatur, index est. Non tamen ipsa omissio subitorum motuum in se nuda, tanquam non ens, sed positiva firmitas voluntatis se recte regere valentis est, cui hanc laudem damus. *Tandem* eventq; casualis nil addit demitque voluntati, addit demitq; tamen facto. Sic illa, cujus operatio impeditur, æq; fortis voluntas esse potest, & fortior, ac illa est, cui succedit. Unde proverbium; *voluntas habetur pro facto.* conf. *II. Cor. VIII.* 12. sicut autem eadem voluntas variis respectibus & respectuum distinctionibus subsistat, ita & diverso respectu major minorq; esse potest, ut v. g. ratione principii levior sit ejus imputatio, ratione intensionis vel durationis gravior, & sic porrò. Quæ combinatio semper expendenda est, cum rectum de quâvis actione judicium formare volumus.

§. 22. Objecta voluntatis etiam ex iisdem distinctionibus æstimantur. Nam (1.) qvia recto intellectu regi debet voluntas, & ille sequitur naturam rei, certum est, qvòd ut qvæq; res majore in pretio nobis est aut esse debet, etiam majorem voluntatis tum intensionem tum intentionem mereatur, & sic non debeant, qvæ voluntate nostrâ eodem modo digna sunt, diverso ejus gradu expeti, neq; cum concurrunt, qvæ diversimode illâ digni sunt, debeat id qvod dignius est, minore voluntate, id est, indirectè, implicitè, conditionaliter, ordinatè, & alterum qvod indignius, directè, explicitè, purè, absolutè appeti, sed contrà. Ita qvia causa volendi magis appetitur qvàm ipsa res, & sic finis magis qvàm medium, conditio seria magis qvàm conditionatum, non oportet à conditione volitu indigniore suspendere voluntatem rei dignioris, aut id qvod magis appeti debebat, appetere ut medium rei indignioris; sed omninò contrà. Ita neq; voluntas generis sufficit, ubi specificâ seu detetminatâ voluntate opus erat, qvia

qvia in objectum inconveniens incidere potest, aut id qvod minùs erat, magis convenienti alii postponere. (2.) cum possit aliquid diverso respectu gratum & ingratum esse, & partim prodesse partim obesse, certè id quod mixturam talem non habet, tanquam melius anteferendum est illi, quod habet, & quod majus bonum affert, ei, quod minus: quod magis nocet quàm prodest, fugiendum omnino, & quod certiùs nocet, magis fugiendum, quàm id cujus noxa incertior est, & sic comparatione etiam reciprocâ institutâ, perinde ut *disp. super.* §. 21. de conscientiâ dubiâ docuimus. Ita igitur qvia labor & mora temporis anteqvam attingas finem, aliquid ingrati vel noxii habet, constat regula, pro objecti naturâ qvandoq; etiam moralis: *qvod potest fieri per pauca, non debet fieri per plura*. Ita & finem, qvem obtinere possumus medio aptiore, non debemus qværere inconvenientiore, neq; finem bonum medio vel pejore vel æq; malo, quàm esi ipsa finis nostri jactura: quemadmodum & Apostolus *rectam illorum damnationem esse* pronunciat, *qvi volunt facere mala ut eveniant bona*, *Rom. III. 8.* (3.) Ex his porrò concludimus, multa comparatè volibilia esse, qvæ absolutè non sunt, & coactæ indirectæq; voluntatis objecta justè esse posse, quæ spontaneæ & directæ non possunt, atq; ut incitatio & coactio, nec non directæ voluntatis necessitas gradibus variat, variare etiam justum coactæ & indirectæ voluntatis objectum. Contrà verò (4.) quæ absolutè volibilia sunt, posse quidem etiam comparatè velli vel nolli, sed non tantùm comparatè. Unde adeò peccant, qui qvod sponte debebant velle, coactè demum volunt, & qvi id quod per se ac directò appetere oportebat, indirectè tantùm vel conditionaliter appetunt, aut simplice tantùm complacentiâ, ad quod efficaci voluntate opus erat. (5.) Quarum verò nexus necessa-

rius

rius est, illorũ etiam qvi unum vult aut velle tenetur, tenetur etiã ad alterum, v. g. qui ad explicitam voluntatem tenetur, tenetur & ad implicitam, quæ illi involvitur, qui finem velle debet efficaciter, debet etiam media ad illum necessaria, qui antecedens, etiam consequens, qui causam, etiam effectum: unde fit, ut ex voluntate debitâ, quamvis non existat, eadem sit obligatio, quæ ex eâdem foret si existeret; & qui consentit in delictum, interpretativè consentiat in pœnam. &c. Permissio autem, quia cum rei permissæ effectione nullum necessarium nexum habet, neque æstimatur immediatè ab ejus conditione, sed ab obligatione impediendi, quæ ubi nulla est, permissio nec honesta nec turpis dici potest, ubi verò est, rei impediendæ gravitate augetur, ipsiq; permissioni æstimationem addit.

§. 23. Adstrictio voluntatis ad rectum intellectum facit primò, ut ab omni eo debeat abhorrere, quod contra sanam rationem est. Ideoque rei simpliciter impossibilis, quæq; contradictionem involvit, stulta voluntas est: ejus autem quæ supra vires quidem nostras est, fieri tamen vel naturæ vel divinâ potentiâ potest, tum demum aliquam simplicis complacentiæ voluntatem habere licet, cum vera quædam ratio subest, quare credas id profuturum esse, si fiat. Ita Paulus de se & fidelibus omnibus testatur, quòd malint hoc corpore non exui, sed gloriâ cœlesti immediatè superindui, *II. Cor. V. 4.* & talia multa vota sunt, quæ scimus rata non fore. Neq; Jacobus *Cap. IV. 2. seq.* damnat desideria hominum propterea quòd irrita sint, ut visum est quondam Stoicæ disciplinæ commendatori Joh. Sternio, Medico Dublinensi, *de Obst. p. 61.* sed docet tantùm quare irrita sint. At efficaciter tale quid velle, & sic conari quod scias frustra fore, non est nisi spem in desperatione quærere & suâ voluntate insanire. Potest tamen

tamen esse aliqua efficax voluntas rei supra vires nostras positæ, hoc sensu, ut conemur ad illam quàm proximè accedere: & hæc est omnium, qvi veræ perfectæq; sanctitati student; & commendari solet omnibus, qvi in literis cupiunt proficere. conf. *I. Cor. XII. 31.*

§. 24. Qvia autem veritas non nisi una, id est, sibi non adversa est, proinde & eandem voluntatem de eâdem re iisdem manentibus circumstantiis habere oportet, neq; etiam mutare illam ob qvamvis circumstantiæ mutationem, sed tunc demum cum causa ipsa alteratur, ob qvam res probanda vel improbanda est. Mobilis igitur & inconstans voluntas ostendit imbecillitatem vel intellectûs, rei naturam non rectè expendentis, vel certè suâ ipsius, levi præcipitiqve impetu intellectum occupantis. Constantia autem, qvæ secum ipsa non luctatur, præcipuum animi robur & virtutem indicat. Obstinationem vocant Stoici bono qvondam vocis sensu, qvæ nunc in malam partem communiter intelligitur de eâ, qvæ verâ ratione non nititur, sed cœco sui amore perstat, qvam φιλῶ σθένειαν appellat & improbat Antoninus Imperator, cum eam Christianis perperam objicit *l. XI. n. 3.* Facit hæc constantia, ne etiam cum ad appetendum vel fugiendum aliqvid ducimur, magno statim impetu ducamur, sed prudenter æstimemus, posse & optimæ speciei aliqvam subesse contrarii motûs causam. Nam de iis quæ præsciri & præsumi poterant, non est sapientis dicere, *non putaram.* Qvi leves sunt ad ajendum, leves etiam sunt ad negandum, qvi leves ad amorem, leves etiam ad iram, & qvo impetu qvid desiderant & laudant, eodem etiam dedignantur & culpant. Non est sanè aliena ab officio nostro rationum momentorumqve omnium, qvæ subinde obveniunt, solicita consideratio; & ipsas tentationes ad malum sibi suggestas prom-

tè percepit Christus,& nihil in eo peccavit, *Matth. IV. 1. seqq. Heb. IV. 15.* Sed omnibus statim commoveri, animoq; fluctuare, æq; minùs qvàm nulli cedere sapientem oportet.

§. 25. Motus voluntatis uterq; tam appetens qvàm fugiens consideratur dupliciter, vel ut actu directo fertur in rem seu objectum nostrum, vel ut actu reflexo fertur in nos ipsos, consideratos qvaliter ad eam rem seu objectum nos habemus. Voluntas, qvâ res nobis placet, dicitur *amor*, quâ vero ipsi nobis placemus propter rem, est *lætitia*: noluntas qvâ res nobis displicet, *odium & aversatio* appellatur, qvâ ipsi nobis displicemus propter eam rem nobis obvenientem, *dolor*. Qvi cardinales animi motûs pro accedentibus variis opinionibus intellectûs, peculiares præterea modificationes atq; nomina accipiunt. Ita amor rei ut futuræ fit *desiderium*, & desiderium paris cum alio vel majoris felicitatis, *æmulatio*, desiderium vicissim placendi ei qvi gratum qvid præstitit, *gratitudo* (qvæ per se virtus non est, cum locum habeat etiam in re malâ) lætitia de re ut futurâ, *spes*, de re ut certâ, *fiducia*; amor rei præsentis ut augendæ, *favor*, & amor *amicitiæ* appellatur, amor ejusdem ut augentis nos aliqvo commodo, amor *concupiscentiæ*. Dolor de re ut futurâ *timor* est *seu metus*, & prout opinio de futuritione probabili ambiguitate pendet, voluntas etiam inter spem & metum, seu lætitiam & dolorem futuri fluctuat. Metus pravæ hominum de nobis existimationis ex facto qvodam nostro ortæ vel oriundæ, specialiter vocatur *pudor*, metus ne qvod ipse amas tibive cupis, alii obveniat, *Zelotypia*, metus lædendi eum, qvem æstimas, *reverentia*, metus gravior impediens judicium intellectûs, *consternatio*. Dolor de re ut præsente, qvi fertur ad illam subitò amovendam, *ira* est, qvi fertur ad necessitatem ferendi, *tristitia*.

Un-

Unde hæc gravis, ille acutus dolor est. Dolor ob sortem alterius, qvem amas, obveniens, specialiter *misericordia* appellatur; dolor de eo, cujus ipse causa fuisti, & qvod à te factum nolles, *pœnitentia*. Qvi dolor tamen de re præteritâ nullus datur, nisi qvamdiu ejus aliquis effectus supereſt aut futurus timetur: unde in statu gloriæ locum non habebit. Hujusmodi aliæ plures modificationes possent distingui, si usus, loqvendi magister, illis peculiaria nomina dedisset.

§. 26. Ob arctam animi corporisq; societatem fit ut voluntas impensior suo motu moveat etiam spiritûs, qvos vocant, animales & per hos sanguinem ipsum in corpore, eò vel faciliùs vel difficiliùs, qvo ipsa corporis structura aut temperamentum ad qvemq; motum magis minusve dispositum est, qvi motûs quia reacto in animum impetu mox etiam percipiuntur, ejusq; impetum juvant, sensus hic cum voluntatis motu junctus, mixta qvædam & actio & passio corporis animiq; fit. Unde ita fortiter sæpè solemus abripi, ut nobis ipsis propterea displiceamus. Qvos motûs, etsi fortè non ubiq; verè, satis tamen ingeniosè explicuit Carteſius peculiari libello. Et hi sunt, qvos vocamus *affectûs* sive passiones animi, qvorum confusa contemplatio multam opinandi disputandiq; materiam philosophis præbuit. Neq; tamen horum motuum voluntatem semper sibi primam causam esse dixerim; sed fieri potest, ut tales agitationes vel ab objectis immediatè vel à morbo excitentur in sanguine ejusq; spiritibus, qvales voluntas aliqva impensior excitare solet, qvi cum sentiuntur ab animo, qvasi qvâdam illum phantasiâ obruunt, & ad conformes motûs voluntatē trahunt. Contra cujusmodi affectûs etiam medicam opem consulere solemus. In hac enim corruptâ naturâ facilè cuivis impulsui cedit voluntas, ut causas sibi volendi & agendi fingat magnas atq;

arduas, qvas leves vel nullas habet. Et hinc factum, ut affectuum nomen multis, præcipuè Stoicis, invidiosum factum sit, nec nisi de mentis turbatione & voluntatis excessu ab iis explicetur.

§. 27. In omnibus hisce voluntatis affectuumq; motibus fundamentalis involvitur sui ipsius amor, quo quisq; sibi bene esse cupit, qui ita naturalis est, ut sine contradictione negari nequeat. Dum enim quid cupimus ut gratum & acceptũ nobis, & aversamur aliud ut ingratum, utique in illius adeptione aut remotione volumus nostrum gaudium augere, vel animi saltim tranquillitatem servare. Ita etiam qui se ipsos interficere intendunt, eâ in re finem aut evitationem alicujus mali quærunt, *vid.* 1. *Sam.* XXVI. 4. Potest quidem formalis animi motus intensior esse in aliud qvid qvàm in te ipsum, etiam ut alii plus cupias quàm tibi, ut ametur Deus super omnia, ut non vita tantùm pro fratre ponatur, sed & cum Paulo & Mose aliorum salutem suo summo exitio quis optet redimere: in ipso tamen acriore illo amore fundamentalis involvitur sui ipsius amor, dum id cupis, cujus contemplatio tibi dulcissima est, cujusq; suavitate omnem dolorem alium speres superatum iri. Atq; ita semper manet in homine ille nisus, qvo sibi in re volitâ bene esse cupit. Amorem hunc sui, qvamvis facili excessu peccare possit, per se tamen adeò non damnat Deus, ut primo etiam homini indiderit in statu integritatis, cum ipsum sensu bonitatis divinæ & metu pœnæ in officio continere voluit, *Gen.* II. 16. *seq.* & post lapsum pro mensurâ laudet omnis erga alios amoris *Lev.* XIX. 18. *Ephes.* V. 29. Amor autem sui conservandi arctior est qvàm augendi, sicut & plus interesse nostra intelligimus ne intereamus, qvàm ne deminuamur, & plus ne deminuamur qvàm ut augeamur aliqvo commodo. Unde adeò fuga & me-

metus mali suâ naturâ vehementior est qvàm desiderium aut spes boni, & multò plus possunt ad voluntatem inclinandam tormenta ac minæ, qvàm blanditiæ & promissiones. Sicut autem naturaliter minus malum potiùs eligendũ est qvàm majus, & majus bonum potiùs qvàm minus, ita ex dolore, fugâ ac metu plus licet qvàm ex lætitiâ, cupiditate & spe, & qvod illinc oritur peccatum, minus est, magisq; excusabile qvàm qvod hinc. Tum etiam qvò vis impacta gravior, majoresq; vel certiores minæ fuerint, eò faciliùs turbatio oritur, & contrà, qvò majore ac certiore emolumento allicimur, fortiùs allicimur, & qvod utroq; modo peccatur, minùs peccatur, qvam si vel turbatio timoris vel erectio spei minor incertiorq; sit.

§. 28. Præterea esse affectuum aliqvorum ex se invicem aliqvam necessariam derivationem ac seqvelam, demonstrationibus Spinozianis facilè largimur. Nam v. g. qvod quisq; cupit, ejus contrarium fugit, atq; ita qvi rem amat, qvatenus amat, servatam vult, & cum eam destrui vel imminui putat, dolet, si verò eam istâ parte aut respectu, qvo amat, auctam putat, gaudet, eumq; qvi auget, qvatenus auget, amat, eum verò qvi minuit aut destruit, qvà talem, odit. Contrà qvi rem odit, qvatenus odit destructam vel saltim à se remotam cupit, ideoq; si eam augeri putat eâ parte vel respectu, qvo odit, dolet, si verò destrui aut imminui, lætatur, eumq; qui auget, qvatenus auget, odit, eum verò qvi minuit vel destruit, qvà talem amat. Qvi amat eum qvi vicissim amare potest, ex amore ejus reciproco magis lætabitur, ob ejus verò adversum animum contristabitur &c. Præterea qvi affectum constanter servat, etiam cum dolorem suum reflexo denuo actu contemplatur, illum probat & amat, & sic aliqvam induit dolendi voluptatem, ut firmatum consuetudine do-

lorem semper qvidem acerbiorem habeat de se qvà malis obsesso, at magis etiam sibi qvà dolenti placeat ob illum quem putat justum dolorem. (Qvod absurdum ac contradictorium esse, & habitum hunc potiùs ab omnibus aliis eâ in re distingui, ne consvetudine dulcescat, neqvicqvã dispu-tat geminæ hujus reflexionis immemor, Sternius *in tract. de obstinat. cap. XI. p. 121. seqq.*) Sed ut illas restrictiones & reduplicationes, qvas his aphorismis adjecimus, malè omisit Spinoza, ita idẽ plura planè contingentia, & qvorũ contraria exempla freqvens experientia docet, pro universalibus & necessariis regulis perperam assumsit, v. g. *part. 3. prop. 35.* de subnascente odio amati, si ille in alium pari amicitiâ feratur, qvâ in amantem, *prop. 36.* de memoriâ rei, qvæ semel nos delectavit, ejusdem novum desiderium excitante, *prop. 38.* de amore summo, cum in odium transit, in summum odium transeunte, *prop. 40.* de odio ejus qvi gratis nos odit &c. Item principia propositionis *27. & 45.* jacta in *prop. 14. seqq.* de mente utrumq; affectuum, qvi semel juncti erant, semper simul resumente, & de causâ omnium affectuum *prop. 12. seq.* datâ, qvòd mens semper ea conetur imaginari, quæ corporis agendi potentiã augent, quod postulatum à conatu perseverandi in suo esse satis infrunitè deducit. Quæ & hujusmodi plura quò manifestius falsa sunt, & pluribus exemplis indies refutantur, eò minùs lectorem turbare debent, ne ineptissimas illas demonstrationes longâ digressione ad examen revocare necesse sit.

§. 29. Itaq; ut voluntati libertatem suam suprà asseruimus, ita etiam robur illud ei inesse posse & debere constat, qvo affectûs suos regat, ut pro gravitate causæ impensiùs vel remissiùs moveatur in eam partem qvà decet. Multùm errant sanè, qvi putant affectuum alte-

ra-

terationes simpliciter exulare debere ab homine sapiente, ad quas tamen & objectorum dignitas & rectæ etiam naturæ necessitas nos cogit, qvasq; & in ipso Christo observamus, *Joh. II. 17. c. XI. 33. Matth. XXVI. 37. Luc. X. 21.* in fidelibus laudat Paulus *II. Cor. VII. 11.* & in ipso felicitatis futuræ statu lætas promittit Deus *Es. XXXV. 10. c. LXV. 14. 1. Pet. IV. 13. &c.* Attamen duo nobis circa affectûs cavenda sunt. Primùm ne importunè vehementes vel tepidi simus, id est, remissiùs velimus, qvod vehementiùs velle oportuit, neq; contrà, secundùm regulam suprà datam. Sæpe enim vehementiâ plus turbamus qvàm proficimus, sæpe etiam tepiditate facimus ut actio omnis frigeat, ut neq; seriò velle videamur, neq; salutare quid efficiatur. In his tepidior affectus suâ naturâ qvidẽ melior est nullo vel contrario, attamen per accidens fieri potest (dum v. g. alios rem seriò magis cordi habituros fiducia tui excludit, aut sub schemate viri boni noces, ubi sub schemate mali nociturus non eras, aut ipse deniq; magis de rectitudine tuâ tibi persuasus rectiora monentem rejicis) ut ad publicum vel privatum commodum præstet te apertè contrarium qvàm tepidum esse. Qvo sensu intelligenda sunt verba Christi, *Apoc. III. 15. seq.* Deinde cavendum est, ne ita nos occupet affectus, ut ad alia percipienda, volenda, agenda inepti simus, vel ad ea ipsa etiam, qvo affectus ducere debuit; qvod præcipuè in furente irâ, consternatione & diffusâ lætitiâ usu venit. Hic finis est solatii cum v. g. Christus jubet non turbari rebus tristibus qvæ evenient, *Matth. XXIV. 6. Marc. XIII. 7* non qvòd omnino non liceat contremiscere, ut censet Sternius *p. 127.* sed ne consternatio tanta sit, ut rectum de re judicium turbet. Ceterum Moderatio affectuum generali nomine qvidem *fortis* animi esse dicitur qvatenus valet ad impetum sanguinis & spirituum sistendum, & *temperantis*

perantis, qvatenꝰ valet ad sui ipsius impetum retinendum, specialiter tamen usu obtinuit, ut qvæ metui deordinato opponitur, *fortitudo*, quæque inordinatæ voluntati in gustu & tactu observabili adversatur, *temperantia* appelletur.

§. 30. Tandem ab objectis voluntatis distinguendæ sunt (1) operationes intellectûs, v. g. *admiratio*, qvæ est consideratio & æstimatio rei ut insolitæ, aut arduæ, artificiosæ vel occultam causam habentis, in qvam cum defixa mentis contemplatio est, sæpe ab omnibus aliis objectis ita se avocat, ut stuporem sensibus inducat: quod ab amore qvidem rei potest profluere, ipsum tamen formaliter affectus aliquis voluntatis non est. *Contemtus*, qvi est æstimatio rei ut vilioris, sæpe ex odio rei aut sui nimio amore orta; *devotio*, qvæ est attentio ad reverentiam, qvam rei debemus aut debere nos credimus. (2) actiones voluntatis imperatæ, qvæ fiunt in aliis potentiis, v. g. *irrisio*, qvatenus est actio oris, qvæ fit à contemnente; nam interdum etiam significat gaudium animi ob alienam confusionem. (3) meræ cessationes voluntatis vel affectuum, v. g. *securitas*, qvæ est negatio metûs, *desperatio*, qvatenus est negatio spei, nam interdum significat furorem ex spei abjectione ortum, *contentatio* (Latinè animum suâ sorte contentum diceres) qvatenꝰ est negatio desiderii ulterioris, *patientia*, qvatenus est negatio doloris; nam hæ voces etiam interdum virtutum nomina sunt. (4) virtutes & vitia, seu affectuum ad legem divinam adstrictiones, & recedentes inde deordinationes, v. g. *mansuetudo*, qvæ est iræ injustæ cohibitio, *libido*, qvæ est pronitas in amores impudicos, *crudelitas*, qvæ est desiderium justo vehementiùs puniendi, *audacia*, qvæ est abjectio timoris justi, *magnanimitas*, qvæ est fortitudo insignis in inhibendo nimio dolore, irâ & studio vindictæ. Qvæ nomina confundî cum affectibus suâ naturâ indifferentibus perperam solent.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746160089/phys_0112
DFG

CAPUT V.

DE JUSTITIA UNIVERSALI.

§. 1.

Reſp. DANIELE SLAFIO, Amſtelodamo-Batavo.

Vidimus hactenus, qvænam Moralis Theologiæ ſemina in ipſis agendi principiis jaceant, nunc ad res ipſas, actiones & illarum objecta progrediemur. Actiones omnes oportet non tantùm agenti congruas eſſe, ut cum generalibus regulis officii intellectûs & voluntatis conveniant, ſed & objectis, ut id, qvod circa illa fit aut tentatur, natura illorum patipoſſit. Per *objecta* intelligimus & illa circa quæ aliqvis finis intenditur, & media ad obtinendũ finem aſſumta, per *actiones*, & intentionem medii, & operationem, quæ ad finem tendit. Reqviritur igitur præter finis & mediorum harmoniam, qvâ hæc illi ſubordinantur, utillum promoveant, non impediant, etiam harmonia tam intentionis qvàm operationis cum ipſo tam medio qvàm fine objectivo, ne qva actio circa objectum ſuſcipiatur, aut objectum ad aliqvam actionem moveatur, qvæ eidem repugnet. Pugnare autem aliqvid poteſt dupliciter, vel ob adverſas rei qvalitates, ſecundùm qvas ad eum effectum, qui intenditur, idonea non eſt, quæ *phyſica pugna* eſt, vel ob adverſam animi ipſius noſtri æſtimationem, quâ objectum cum agente comparatur, qvæ eſt *pugna moralis*, & unicè hîc attenditur. Actio enim eſt motus ejusmodi, qvo nexus aliqvis agentis & objecti fit, ideoq; qvà eſt actio, objecto propriè, non ut illud phyſicè, ideſt, in ſe & abſoluto qvodam conceptu conſideratur, ſed ut ſe habet

bet ad agentem, convenit vel repugnat. Atq; ita *oportet omnem actionem omnemq; voluntatis inclinationem talem esse, qvalem objecti ad agentem respectus vel reqvirit vel saltim pati potest.* Qvippe ut recta ratio pariter ac natura ipsa rerum non nisi conformem sibi veritatem admittit, ita sana voluntas non est, quæ confusis & contradictoriis conceptibus mentem implicat. Qvod ut pleniùs intelligatur, paucis absoluti & relativi conceptûs differentiam ex elementis logicis repetemus.

§. 2. Enimverò conceptûs alii ita comparati sunt, ut per se sensum absolvant & cogitationem sistant, etsi nullus alius conceptus se menti ingerat, & illi dicuntur *absoluti*, ut v. g. cum de circulo cogito, non est necesse ut de partibus vel proprietatibus ejus simul cogitem, neq; ut de aliqvâ re aliâ, quæ præter circulum existit: alii verò ita comparati sunt, ut non possint sine concurrente alio conceptu intelligi, v. g. cum totum nomino, non possum qvin & de partibus cogitem, cum causam, etiam causati notio animo subjicitur necessariò, & hi vocantur *relati* & alter alterius *correlatũ*. Qvi & ipsi tamen non in unâ differentiâ sunt. Scholastici distinguunt relationes reales & rationis, secundùm esse & secundùm dici, prædicamentales & transcendentales, in quorum tamen terminorum explicatione non ubiq; certus consensus est. Nos missis illorum disputationibus planiorem viam sequemur, cui terminos illos qvodamodo accomodabimus. Nempe conceptûs relativi alii tantùm dicunt, qvalis res sit sibi ipsi, ut conceptus totius & partium, qvorum nexus dicetur nobis *relatio rationis*, alii tantùm qvalis res sit alteri, ut v. g. conceptus causæ & causati, domini & servi, præceptoris & discipuli, qvorum relationem vocabimus *realem secundùm esse*, alii & qvalis res sit ipsi sibi &

qualis

qvalis alteri, exprimunt, ut scientia & scientem respicit & scibile, qvorum relationem appellare liceat *realem secundùm dici*. Relationes partium ad partes ejusdem rei, ut materiæ ad formam, capitis ad corpus, analogicè ad secundam classem referimus, si partes realiter ita separabiles sunt, ut seorsim existere possint, ad primã verò, si separari ita nequeant. Qvi secudùm esse relati appellantur, in arctissimo sensu ita appellantur, quia illorũ tota notio in illo diversarum rerũ ad se invicem respectu absolvitur, ut qvàm longissimè ab absolutis absint. Sunt autem relativi hi conceptûs qvædam mentis compositiones ex consideratione singularum rerum ortæ, & peculiarem ipsis æstimationem adjicientes, & qvia à nobis ipsis oriuntur, evidentiores sunt omnibus conceptibus absolutis, ac apertioribus consequentiis patent. Qvid enim cuiq; conceptui includatur, aut inde excludatur, evidentiùs patet de illis, qvos ipsi nostrâ industriâ totos formavimus, qvàm de iis, qvi solâ sensuum experientiâ excitantur. Unde adeò argumenta topica, quæ ab illatione relationum desumta sunt, non probabilem tantùm, ut multis persvasum est, sed certissimam scientiam gignunt, omni aliâ demonstratione, quæ juxta methodum posteriorum analyticorum in physicis exemplis qværitur, longè majorem.

§. 3. Relationes reales secundùm esse, qvas solas hîc considerare sufficit, fundantur vel in qvibusdam motibus, id est, actionibus aut passionibus præviis, vel in fixâ & permanente rei naturâ, conditione aut qvalitatib9, qvæ fundamenta conceptibus terminorum relativorum non minùs qvàm ipsa correlata includuntur. Et oportet ubiq; aliqvã relationi causam esse, qvâ vera rei ad alteram æstimatio à falsâ distinguatur, imò ne falsa quidem esse vel fingi sine manifestâ absurditate & contradictione potest,

nisi & causa illi seu fundamentum esse fingatur. Ita qvi v. g. herum cogitat, non tantùm servum ei esse cogitat, sed & aliqvid sive factum esse, sive etiamnum existere, quo ille respectus herilitatis & servitutis nitatur. Itaq; ut cognitio rem sequitur, ita seqvitur relatio suum fundamentum, ut cum illo vel posito vel sublato stabiliatur & corruat, neq; sine illo vel posito vel sublato poni vel tolli possit. Distinguitur etiam quæq; relatio in formalem & fundamentalem, ubi formalis vocatur, ut in mente æstimantis est, fundamentalis, ut in re, nec revera aliud quid est qvàm ipsum relationis fundamentum à relatione formali denominatum. Fundamentum hoc in utroq; correlatorum hærere necesse est, alioquin non possent æstimatione conjungi, at idem ut sit utrobiq;, necesse non est, dummodo æstimatione conveniant, id est, ut in eodem exemplo maneamus, oportet non tantùm in hero causam esse herilitatis, sed & in servo servitutis, qvanqvam alia servi alia heri conditio est, attamen ut ad mutuum nexum tendant, qvo hic illi subjiciatur. Neq; uno semper fundamento nititur relatio, sed sæpe pluribus sive æqvaliter sive inæqvaliter, ita ut & ab altero mediatè, ab altero immediatè dependere possit, sicut v. g. relatio patris & filii familias in jure Romano partim naturali partim civili lege nititur.

§. 4. Relationum harum aliæ comparationem subjectorum inter se exprimunt, aliæ dependentiam. *Comparationis relationes* sunt, quibus alterum alteri æqvale vel inæquale, simile vel dissimile, prius vel posterius loco aut tempore esse dicitur, in quibus quæ æqualia, similia, simultanea sunt, *æquiparantiæ*, quæ inæqualia, dissimilia, successiva sibi sunt, *disqviparantiæ* relationes appellantur: *dependentiæ* verò *relationes* vel sunt *subordinationis*, qualis est inter causam & effectum, imperantem & parentem, signum & signa-

gnatum,&c. vel *coordinationis*, qualis est inter causas socias seu officii collegas, ad eundem effectum concurrentes; vel *oppositionis*, qvalis est inter oppugnantem & resistentem. Nam & resistendi modus ab oppugnatione pendet & dirigitur. Coordinationes omnes sunt reciprocæ, subordinationes verò & oppugnationes aliæ μονόπλευροι seu unilateræ, cum alterum causæ vel signi, alterum causati vel signati rationem habet, ab unâ parte vis fit, ab alterâ evitatur vel repellitur, aliæ διπλευροι seu bilateræ, cũ mutuâ in se causalitate agunt subjecta, mutuamq; sibi vim intentant. Comparationis relationes inter omnes res versari possunt, dependentiæ verò tantùm inter eas, inter quas actionum est commercium, ideoq; omnia dependentiæ relata etiam comparationis relationi subjecta sunt, sed non contrà.

§. 5. Quælibet harum relationum, si eam sequi velis, peculiarem requirit in correlatis actionũ moderationem, quâ correlata inter se agant, cum agunt, np. ut actiones fiant eo modo, quo correlatis conveniunt, & per qvem relatio subsistere potest. Nam in comparatis sine concessõ alterutri excessu nulla est inæqualitas, nec sine servatâ utrinq; qvalitate eâ, quæ relationis fundamentum est, similitudo, nec sine effectu causalitas, aut sine directione imperium vel signum, nec sine concordibus studiis inter se concurrentibus societas, nec sine discordibus oppositio. Sed potiùs, quò magis vel minùs cuiq; excessus tribuitur, eo major vel æqualitas est vel inæqvalitas, quò plus in altero efficitur, eò major ejus est causalitas vel directio, quò impensior vel concordiæ vel discordiæ cura, eò etiam fortiùs vel coordinatio vel oppositio procedit. Id igitur præstat in homine ratio, ut qvæ sibi sit adversus qvemq; relatio observare, & juxta eam suas vel regere vel æstimare saltim actiones possit, estq; hoc officium hominis, ut relationis suæ

naturam atq; harmoniam ubiq; obſervet, ne individua quævis ſive actio ſive intentio ejus, & quæinde reſultat nova relatio, generali intentioni atq; relationi, quæ ipſi cum objecto intercedit, adverſa ſit. Quod ſi relatio & ejus fundamentum ſimpliciter à noſtro pendet arbitrio, ut pro lubitu variari poſſit, vel inefficax vel in horas mutabilis eſt voluntas, ſi contra eam quid egerit, v. g. ſi finem velis, nec media tamen, ſi paritatem ſervare cupias cum eo, cui ſubinde cedis tamen. At cum relationis immutatio à nobis non pendet, tum verò in phyſicam repugnantiam incidit, qui relationem illam tollere vult, in moralem, qui contra illam non ſublatam quid agit.

§. 6. Adſtrictio poteſtatis naturalis ad hanc officii noſtri menſuram voçatur *obligatio*, quâ id qvod per vires animi atq; corporis aliàs poſſemus, non poſſe, aut ad id, unde naturalis aliàs libertas diſcedere atq; divagari permittebat, adſtricti eſſe æſtimamur, ob ejusmodi aliquam relationem & actionum noſtrarum regulam. Neq; tamen obligatio in objectorum tantùm ad nos habitudine ſpectatur, ſed & in naturâ ipſâ voluntatis atq; intellectûs, quæ pariter regulis nos quibusdam adſtrictos tenet, ut ſuperioribus capitibus vidimus; & omnes tales ſunt, ut illarum neglectio confuſionem & contradictionem in conceptibus mentis atq; animi motibus pariat. Ipſa verò illa ſive agendi neceſſitas ſive potentia & impotentia moralis, qvæ ad ejusmodi menſurã æſtimatur, *jus* appellatur, & pro triplici hac æſtimationis vi in potentiam naturalẽ, vel eſt *præceptivum*, quo neceſſitas agendi infertur, & libertas ad certã ſpeciem actionis adſtringitur, vel *permiſſivum*, quo libertas agenti relinquitur, vel *prohibitivum*, quo idem à certi generis actione retinetur. Qui permiſſivi juris nomen agnoſcere nolunt, quòd id videatur potentiæ naturali nihil vel addere

vel

vel demere, non animadvertunt ad communem hominum phrasin, qvâ ejus rei mihi jus esse dicitur, quæ permittitur, seu quam alteri non licet prohibere. Atq; adeò etsi jus permissivum potentiam agentis non adstringit, ampliat tamen, dum cohibet potentiam alterius intercessoris, qvi poterat actioni meæ obniti. Unde *jus* aliud *activum* est seu activè obligans, np. potentia moralis, quã qvis habet ad exigendum & prohibendum, np. ad prohibendum tum factum quodvis, tum etiam jussionem & prohibitionem alienam, aliud *passivum* seu passivæ obligationis, np. necessitas & impotentia moralis, qvâ quis exigenti & prohibenti tenetur.

§. 7. Obligandi principium potest dupliciter considerari, vel ut rei & actioni cuiq; internum est, vel ut externum; utroq; sensu συνωνύμως & *jus* & *lex* appellatur. Internum principium est ipsa ex agentis ad objectum & voluntatis ad intellectum habitudine defluens actionum mensura, qvæ quia ipsi rerum, imò ipsius Dei naturæ indispensabiliter inest, naturalis & æterni juris legisve appellatione gaudet. Equidem nolim cum plurimis scholasticorum ad eam devenire mentis abstractionem, ut & in hypothesi nullius existentis Dei aliquod tamen jus certum & æternum fore asseram. Quia enim Deus fons omnis veritatis est, extra qvem nullum positivum rerum rationisve principium, aut essentia æterna, in scholis ita dicta, vel est vel esse potest, sequitur, quòd quâ hypothesi Deum è mundo sustuleris, eâdem & omnem rerum naturam atq; veritatem auferas, ut nullum remaneat ullius propositionis fundamentum. Neq; tamen cum aliis à liberâ & indifferente voluntate Dei omne jus suspendimus, qvod pro lubitu mutari possit, & in extruendo fortè alio mundo contrariũ proponi; sed quæ æternæ & imutabilis veritatis esse agnoscimus, ex ipsâ Dei essentiâ æternâ & immutabili ut deri-

derivemus necesse est, quâ Deus se ipsum negare nequit, *II. Tim. II. 13.* Nam ut natura Dei nullam contradictionis compossibilitatem fert, *conf. II. Cor. I. 19.* ita neq; contradictionis attentationem in actionibus & motibus voluntatis pati potest, quibus directio intellectûs turbatur, aut agentis ad objectum relatio, etiam dum hærere intelligitur, pariter evertitur. Est hæc essentialis Dei veritas, unde omnis fluit morum regula, & hinc rectitudo Dei & leges ejus vocantur ejus veritas *Psf. CXI. 7. CXIX. 30. 86.* & peccatum projectio veritatis *Dan. VI. 12. Job. VIII. 44.* Sic igitur non malè rem considera vit Grotius *l. 1. c. 1. de j. b. & p.* cum ad ductum Theologorum dixit, non magis effici à Deo posse, ut qvod intrinsecâ ratione malum est, tale non sit, quàm ne bis duo sint qvatuor. Qvanqvam enim confusio voluntatis contradictoria appetentis, qualia sunt quæ relationi nostræ & directioni intellectûs repugnant, physicè impossibilis non est, uti est contradictio in ipsâ re, v. g. ne geminatio binarii binarium geminet, æq; tamen absurdum & repugnans est perfectissimæ naturæ divinæ, insanam ejusmodi voluntatem probare ac contradictoria efficere, cum voluntas voluntatem probans eidem conformetur.

§. 8. Externum obligandi principium est voluntas imperantis & cogentis, sive ipsius Dei sive aliorum, quibus subsumus. Hoc sensu duplex notio atq; definitio *legis* dari potest, vel qvòd sit *voluntas cogentis signo expressa*, vel quòd sit *signum voluntatis ejus qui cogit*: & sic etiam legem naturalem definire possumus, quòd sit signũ seu testimonium voluntatis divinæ naturaliter nobis impressum. *Rom. II. 15.* Nam quod per ipsam Dei naturam immutabile est, id idem etiam vult, nobisq; observandum dedit, ita ut nulla dispensatio contra illud locum habeat. Quam autem

autem præterea legem libero decreto vel Deus imperat vel homo, arbitrariam, vel recepto hodie vocabulo *positivam* vocamus, eoq; nomine ab iis, quæ naturalis & intrinsecæ necessitatis sunt, distinguimꝰ. Cujusmodi positivæ leges tollunt quidem permissionem, quæ à lege naturali est, dum novam obligationem à novo principio introducunt, non tollunt tamen ipsam vim permissivam juris naturalis, id est, non faciunt, ut id qvod juris naturalis est esse desinat, sed faciunt tantùm ne actio nostra ex illo solo æstimetur. Qvando verò lex cum interno obligationis principio convenit, & inde repetita est, dicitur eatenus habere *vim directivam*, quatenus verò à voluntate imperantis pendet, habere vim *coactivam*.

§. 9. A jure derivatur *justitia*, tanquam juris observatio, quæ dupliciter consideratur, vel ut actiones afficit vel ut agentes. Illo respectu est ipsa *actionum cum obligandi principio* sive interno sive externo *harmonia*, seu quod idē est, *æqualitas debiti & præstiti*; hoc verò respectu considerata est *perfectio agendi secundùm obligationem istam*, atq; adeò eadem fere cum ipsâ sanctitate. Unde & hæc tanquā synonyma vocabula conjunguntur *Luc. I. 75. Eph. IV. 24.* Rationis tamen subtilem aliquā differentiam inter utramq; vocem observare licet cum Aristotelicis, virtutem & justitiam non multùm absimili modo discernentibus, quòd np. *sanctitas* hominem denominet magis, ut ille absolutè & respectu sui consideratur, *justitia* verò magis, ut idem respicit alios. Nam sanctus dicitur homo, quatenus nihil ipsi perfectionis deest ad rectum agendi modum, promtamq; recti intellectûs observationem in omni motu voluntatis, justus autem quatenus alteri satisfacit, cui obligatus est, sive legis latori, quo nomine dicitur *obedientia*, sive illi, qui actionis objectum est. Itaq; si propriam vocis vim consideres,

sideres, non videntur justitiæ nomine comprehendi, quæ quis sibi ipsi præstat, & ad internam tantùm intellectûs & voluntatis harmoniam pertinent, nisi eo solũ respectu, quo illa ut actûs obedientiæ legi divinæ præstitæ considerantur, vel ut medium, ad id qvod decet alteri præstandum vel utile vel necessarium. Qvare veteres Academici justitiam à tribus aliis virtutibus cardinalibus ut qvartam distinxerunt, puta à *prudentiâ*, qvæ intellectûs perfectio est, *fortitudine* & *temperantiâ*, quæ voluntatis robur & perfectio sunt, qvarum illâ fugæ ac aversionis, hac appetitûs præceps & irregularis impetus sisti intelligitur, ita ut id tantùm justitiæ esse diceretur, qvod à relatione, qvæ cum aliis intercedit, regitur. Cum tamen qvæ prudentiæ, fortitudinis & temperantiæ sunt, ad legem Dei jubentis, aut ad officia aliis præstanda referimus, etiam justitiæ actûs fiunt, non eliciti sed imperati.

§. 10. Regulæ generales justitiæ, qvæ ex his relationibus resultant ad regendas actiones, eædem fere sunt cum iis, qvas ad communem omnium disciplinarum usum in doctrinâ topicâ exhibent logici, easq; parvo numero complecti possumus. Prima qvam relatio nudæ comparationis suppeditat circa qvantitatem, hæc est: *æqualibus æqualia debentur*, *inæqualibus inæqualia*, np. ei, qvod majus est majora, ei quod minus minora, videlicet exiis, quæ respectu ejus, in qvo æqvalia vel inæqualia sunt, cuiq; tribuuntur. Nam ut corpora æqvalia æqvali alimento, inæqvalia inæquali pascere oportet, ita idem de hominibus pro dignitatis atq; potestatis ratione excipiendis valet. Ut cujusq; amplior arctiorve potestas agnoscitur, plus vel minus etiam illi concedi par est in iis, qvæ potestati ejus objecta sunt: qui dignitate supra nos excellit, in majore honore habendus est à nobis, qvàm ipsi cupimus ab illo haberi; qui par est, æquali honore excipi debet. Idem

de

de amore, curâ, aliisq; officiis impensiùs vel remissiùs exhibendis pro comparatione causæ, quam alter alteri dedit, dicendum est. Inde igitur Deo maximus, hominibus inter se quà hominibus æqualis mutuò amor honorq; debetur; quæ præcipua legis divinæ capita esse, docet Christus *Matth. XXII. 37. seqq.* quia Deus excellentissimus super omnia, homines inter se quà homines ejusdem naturæ ac originis sunt. Secunda regula circa qualitatem hæc est: *Similium similis est ratio, dissimilium dissimilis*, np. respecta ejus in quo similes vel dissimiles sunt. Ex terminis hoc, æq; ac superior regula, constat. Qui se mutuò eâdem ratione respiciunt, eatenus etiam eadem officiorum genera sibi mutuò debent, qui diversâ ratione, etiam diversa officia eo nomine requirunt. Ita eadem sunt quæ fratribus vel amicis mutuò debentur, at alia quæ liberis, alia qvæ parentibus, nec eadem potest ab hero expectare servus, quæ herus à servo. Quæ verò aliorum in parî casu officia esse videntur, eadem & nostra esse ex eâdem relatione, oportet agnoscere. Hinc quia amor nostri facit, ut rectitudinem officii alieni promtè advertamus, quando nostra interest, cupiditatem eam officii etiam nostri mensuram fecit Christus, cum de alieno commodo agitur *Matth. VII. 12. Quicquid vultis ut alii faciant vobis, idem vos facite illis*; addens in hac generali regulâ verti legem & prophetas. Nempe non quod quis quomodocunq; sibi optat, sed *qvod* tanquam *justum* sibi cupit & *in alium statuit, eodem jure ut & ipse utatur*; quale prætoris quondam edictum erat apud Romanos, quod summam habere æquitatem agnoscit Ulpianus *l. 1. π. b. t.* Tertia regula circa ordinem ita formari potest: *Ut quisq; prior est, in suo genere potior est.* Quam vulgò arctiùs contractam ita proponunt; *prior tempore potior jure.* Sed quæ temporis ratio, eadem

& loci est. Nam & dum loco (intellige apto) propior quis est, aliqvo momento temporis prior est ad præstanda & recipienda officia, & sic potius vinculum est inter vicinos, quàm remotiùs habitantes vel sedentes, ne possis sine causâ vel præterire viciniorem vel expectare remotiorem. Prior autem quis est, quatenus cum altero non concurrit, adeoq; ut occupat quod nondum ab illo occupatum est. Unde & relatio, quam ex eo temporis momento nactus est, ipsi soli cedit, ut rei vacuæ occupator, rei non expetitæ expetitor sit, ut juvet non adjutum, molestus sit molestiam aliam non sentienti &c. & qvæcunq; inde fluunt jura & obligationes in se derivet, ut potior inventor, petitor, adjutor, & minùs graviter molestus sit, antequam accedat alter ad rem jam occupatam, petitam, aut juvamen vel molestiam jam factam. Atq; si de prioritate ordinis quæritur in facto reciproco, non tantùm beneficio potior est qui prior est, dum dedit & præstitit nondum danti & præstanti, sed & injuriâ, si lacessivit non lacessitus. Deniq; regularum harum omnium ita eadem certitudo est, ut sub relatione æqualitatis ac inæqualitatis reliquas duas optimè possis complecti.

§. 11. Relatio dependentiæ uti triplex est, ita tres quoq; regulas agendi nobis suppeditat. Primam pro subordinatione hanc: *Subordinatum sequitur subordinantem pro mensurâ subordinationis.* Nam à tali directionis sequelâ subordinatio nobis dicitur, & invenitur vel in causis vel in signis. In causando subjicitur instrumentale principali, physicũ physicâ, morale morali directione admissâ, quæ moralis directio fit mediante intellectu voluntatẽ alienã percipiente: ita jussus jubentem sequitor, civis imperantem. Itaq; quantum alteri in te imperium est, tanta tibi parendi necessitas moralis incumbit. In signando subjiciuntur

sibi

sibi mutuò signum & signatum, illud huic ut principio fiendi, hoc illi ut principio cognoscendi alligatum. Nam ut nihil rationem signi habet, nisi cui respondet signatum, ita alterum alteri esse debet certo modo conveniens. Inde veritas verborũ & pactorum firmitas pendet: quippe verba sunt signa animi, & promissio signum est effectûs futuri. Secunda regula est pro coordinatione: *Coordinatorum eadem est directio & idem conatus pro mensurâ coordinationis.* Nam qui ad quamvis societatem conjunguntur, ad communem ejus finem conjunguntur, eamq; eò specialiorem quò arctior est societas. Hinc necessitas concordiæ incumbit tum hominibus in genere omnibus ut mundi incolis, quotquot actionum inter se cõmercium habent, tum magis illis, qui unius ecclesiæ vel reipublicæ cives, vel familiæ partes sunt &c. Tertia pro oppositione regula hæc esto: *Oppositorum opposita est ratio*; id est, ita alterum alterius mensura, ut pro modo oppugnationis etiam resistentia & cautela, & pro modo læsionis etiam restitutio & satisfactio reguletur. Idem valet in rerum permutatione, omniq; contractu per compensationem ejus, qvod utrinq; præstatur, æqvilibrium quærente. Quæ omnia talia axiomata sunt, quæ à nemine, qui terminos intelligit, negari possunt.

§. 12. Quæ ex his & aliis æquipollentibus vel inde deductis regulis determinationem non accipiunt, sub jure permissivo sunt, quo cujusq; alterius potentiam inhiberi diximus supra §. 6. ne illi impedimento sit. Itaq; non tantùm injuria fit, si id qvod alteri ex obligatione aliquâ fieri oportuit, non fiat, aut contrarium ejus fiat, sed & si libertas cuiq; sua impediatur, aut quâcunq; in re quis lædatur ab eo, cui respectu ejus rei nullo jure adstrictus est. Quisq; enim in quantum ab alio in esse aut statu suo non dependet, nec existentiam nec conservationem sui

ſuæve conditionis, officii, actionis, ab alio habet, vel ejus concurſui debet, liber & ſui juris eſt, (puta, qvoad vim coactivam) nec niſi voluntate vel ſuâ vel ejus unde procedit aut dependet, alterius poteſtati ad novæ obligationis neceſſitatem jure ſubjici poteſt. Ergo etiam in tantum libertate rerum ſuarum fruitur, & in eâ ſine imminutione relinquendus eſt. Hæc illa ſunt duo juris præcepta, quæ Juſtinianus primæ generali & ad noſtri ipſorum curam ſpectanti (*honeſtè vivere*) ſubjicit; *neminem lædire*, ne illi qui tibi obligatus non eſt, aut qvâ in re non eſt, moleſtus ſis, & *ſuum cuiq; tribuere*, ut illi, cui obligatus es, ea quæ decet exhibeas. Hinc ſicut qui non tribuit alteri, qvod oportet, etiamnum id tribuere tenetur ex juſtitiâ, ita qvi læſit, ubi non debuit, eo nomine ſatisfacere debet.

§. 13. Qvemadmodum autem relatio alia μονόπλευρος eſt alia δίπλευρος, ita & obligatio alia ſimplex alia mutua. In ſimplice obligatione alter relatorum *obligans* eſt, alter *obligatus*. Obligans in ſenſu tranſeunte eſt is unde relatio procedit, at in ſenſu immanente, quo obligato ut correlatum opponitur, eſt objectum cui alter obligatus eſt, ſive is, cui ex relatione, qvæ inter partes verſatur, jus aliqvod vel exigendi vel prohibendi competit; obligatus verò is, in qvem illud jus competit, quiq; ad faciendum vel omittendum aliqvid alteri tenetur. Nimirum poteſtas eſt obligantis, neceſſitas obligati, illius activa, hujus paſſiva obligatio eſt. In mutuâ verò obligatione uterq; relatorum & obligans & obligatus eſt, ut ambo ſive pari ſive impari vinculo ſibi ſint reciprocè innexi.

§. 14. Quia verò relativi conceptûs omnes in mente æſtimantis hærent, & ad actiones æſtimationi conformes tendunt, nec vis obligandi niſi ab illâ æſtimatione immeditatè fluit, certum eſt, non alii inde aliquid juris accedere

cedere posse, nisi qui ejus qvod agit, aut quod sibi fit & secum agitur, sensum & voluntatem & æstimationem aliquam habere potest. Itaq; rebus inanimatis nemo obligatus est directò & propriè, quantacunq; etiam videatur ad illas esse relatio, v. g. patrio solo, sepulchro majorum, arbori, agro aut cibo se alenti, viti aut fluvio potanti, lavanti &c. quippe quibus perinde est, qvid de se fiat; indirectè tamen & impropriè iisdem obligari qvandoq; dicimur, cum illi obligamur, qui de iis rebus aliqvid præcipit vel stipulatus est, aut quomodocunq; ad se pertinere judicat, quod illis accidit. Cujusmodi obligationes sunt hominum glebæ adscriptorum, & heredum ac necessariorum, qui honorem defuncti & in sepulchro illibatum servare debent, aut qui dominantibus prædiis serviunt. Ex eâdem causâ neq; res inanimatæ nobis obligatæ esse possunt obligatione verâ morali, qvamvis illi, qui eas detinent, possident, aut detinere fortè cupiunt, obligentur ad eas aut earum aliqvid nobis cedendum. Quo sensu omnia jura in re constituta apud JCtos explicari debent, quum svetâ jam orationis figurâ res nobis obligatas esse dicunt. Quæ verò sensum & voluntatem aliqvam habent quidem, at reflexo tamen actu, quæ fiunt, distinctè æstimare neqveunt, ut animantia bruta, illa aliquam etiam, ut ut imperfectam, juris communionem habere necesse est, ita ut qvamvis honestatis ac turpitudinis moralis re verâ capacia non sint, aliquo tamen crassiore modo & illa nobis & nos illis obligare possimus. Nam quod Cartesius illa fingit sine omni sensu & vitali principio ut automata solis mechanicæ legibus moveri, ita ab omni ratione & quotidianâ rerum experientiâ alienum est, ut mireris homines dari tanto magistri studio occupatos, ut id sibi persuaderi patiantur. Etenim si memorabiles illæ variorum

riorum animantium actiones, memoriæ, fidei, fraudis, variorumq; affectuum indices, loqvela, institutio, societates & opera affabre facta, quæ ubiq; obvia sunt, & de quibus historiæ passim prostant, sine omni mente & sensu edi potuerunt, vereor ne ipse tandem discipulis suspectus præceptor Cartesianus hæreat, qvo se argumento illis hominem sentientem & cogitantem, nec pariter inanimem machinam esse evidenter probet. Si verò eadem de aliorum animantium, quæ de hominum sensu, signa atq; argumenta valent, ut bruta dolore & gaudio affici, in spem & metum duci posse concedamus, certum est, quòd nostri etiam & aliorum objectorum perpetuam qvandam phantasiam nostro studio excitatam quandoq; circumferant, *conf. Es. l. 3.* quòdqve eidem convenienter haberi, duriùs blandiùsq; in pœnam vel præmium admissi excipi possint. *vid. Num. XXII. 27. seq.*

§. 15. Præterea potest obligatio etiam plena intercedere inter eos & cum illis, qvi neq; sensum neq; æstimationem rei habent, dummodo vel habituri sunt aliquando, vel olim habuerunt. Nam ut voluntas ita & sensus & æstimatio aliqua interpretativa est, quâ relatio cum alio & exillâ jus oritur & servatur etiam nescientibus, scituris tamen & æstimaturis, vel ad æstimationem eam, cum resciverint, adstrictis. Atqve ita obligatio esse & nasci potest infanti, v. g. vernæ, absenti, furioso, qvâ aliis tenentur, & erga eosdẽ, qvâ illis tenemur, perinde ac si rationis usu actu pollerent, qvanqvam pro conditione illorum alios sæpe obligatio effectûs parit, dum non idem sive ipsi præstare possunt, sive ipsis præstari potest, qvod præsentibus vel ratione utentibus potest. Sic etiam erga mortuos & in delirium insanabile lapsos, qvale præsertim ex senio obvenire solet, non tantùm eadem obligatio

tio potest hærere, qvam ex facto semel transeunte relatio peperit, sed & nova accrescere ab illâ voluntate atq; æstimatione, qvam in talem casum superstites & sani immutabilem olim habuerunt, aut habuisse præsumuntur, vel qvam etiam habere debuerunt; v. g. si qvis demortui relictam filiam duxerit, relationem generi ad socerum induit, & ex illâ ad eadem officia memoriæ cineribusq; defuncti præstanda obligatur, quæ is sibi à futuro genero in casum mortis promittere debuisset. Nam qvi superstes æstimare potest, qvæ sibi post fata obventura sunt, etiam ad illa potest obligare sibi alios absolutè aut sub conditione, quam qui accipit, accipit etiam conditionatum sive expressum à defuncto, sive ex communi omnium voluntate aut obligatione præsumtum. *conf. Gen. XLVII. 31. cum L. 5. & ib. v. 25. cum Ex. XIII. 19.*

§. 16. Officia obligationis nostræ considerantur vel ut consistunt in affectu interno voluntatis, vel ut in effectu externo rei vel operæ. Affectus internus ut à merâ rei æstimatione regi debet, ita æq; necessarius est utrinq; ac ipsa illa æstimatio seu relatio, qvæ inter utramqve partem versatur, ut neutra vel impedimentum ejus alteri ponere, vel obligatione illâ alteram eximere possit. Unde v. g. indispensabilis est in liberis reverentia erga parentes, satisfaciendi promtitudo in eo, qvi damnum dedit. At effectus externus non tantùm variis impedimentis subjacet, quorum vis cum superari nequit, conatum obligati infringit, sed & ab illo ipso, cui præstari debet, remitti & repudiari potest. Quo utroq; casu etiam infringitur obligatio, qvâ ad effectum illum tenebamur. Nam primùm qvod vires nostras superat sine culpâ nostrâ, nullum in nobis habere fundamentũ potest, vi cujus absolutè existere debeat, cum natura quà recta sibi ipsi non sit contraria.

Unde vulgato verbo dicitur, *ad impossibilia neminem teneri.* Deinde qvod alteri externo effectu præstatur, propterea præstatur, ut is ejus sensum habeat sive mediatum sive immediatum, formalem vel interpretativum, adeoq; ut gratum vel ingratum sit, id qvod ingratum est, qvà tale, nemo potest velle, proinde nec ad id obligare aliqvem suâ solius formali voluntate, aut obligatum sibi habere. Nam jus & potestas exigendi ut efficax sit, voluntatem obligantis vel stimulat, vel præsupponit, eiq; accedit. Unde obligatio, qvæ pertinet ad rem alicui præstandam tanqvàm gratam, necessariò cessat cum res illa, voluntate hominis in contrarium versâ, grata esse desinit, juxta commune proverbium; *invito non fit beneficium.* Obligamur sæpe tamen aliis non secundùm formalem, sed interpretativam illorum, voluntatem; qvalis est v. g. obligatio tutoris erga pupillum, ad id qvod in præsentiâ ingratum est, sed gratum aliqvando erit aut esse debet; sed id tunc cum ipse ille, cui obligamur, vel in errore versatur, vel aliâ obligatione & ipse constrictus tenetur, ne sui juris sit. Fieri enim potest, ut neq; ipse obligans officio suo satis facere possit, qvo vel obligato vel aliis tenetur, nisi id exigat vel conservet, cujus ipsi jus est: ita qvi tenetur ducere exercitum, tenetur militum obedientiam exigere & à tumultuantibus pœnas poscere, qvi tenetur solvere creditori, tenetur in tantum debitoribus bona sua non donare. Datur & qvandoq; beneficium ut vinculũ amicitiæ, qvandoq; & ita ut simul sit imperium, ut cum domino servo vestimenta dat gerenda, ubi ejus rejectio fieri solet ex animo affectum aut imperiũ alienum contemnente; qvo nomine Esavi impietas accusatur vendentis jus primogenituræ *Hebr. XII, 16.* At ab ejusmodi casibus si abeas, vel ex ipsis terminis constat, qvòd potestas exigendi nullam inferat necessitatem, & sic qvisqve

qvæ rerum ſuarum arbitrium habens, poſſit alienum officium ſibi nolle, & obligato id remittere, ſicut & plus boni dare & datũ accipere, qvàm in obligatione eſt, *Conf. 1. Cor. VII. 21.* Nam ſicut in eo, qvod ingratum eſt, qvà tali, nullum fit beneficium, ita in eo, qvod gratũ eſt, qvà tali, nulla fit injuria.

§. 17. Obligatio ipſa ejusq; effectus internus ab obligante non remiſſus tam diu durat, qvãdiu perſtat relatio cui innititur; relatio verò menſuram durationis ſuæ capit à fundamento illo, actione vel qvalitate, unde reſultat. Deſinit igitur obligatio *primùm* cum deſinit eſſe ille, qvi obligatus eſt, qvia non entis neq; actio eſſe poteſt, neq; actionis ad ullam legem adſtrictio. Ita in mortuis cum actionibus etiam obligationes hujus vitæ expirant. Unde Paulus *Rom. VI. 7. qvi mortuus eſt*, inqvit, *abſolutꝙ eſt à peccato*. Illo verò pereunte, cui alter obligatus erat, tunc demum obligatio expirat, cũ ita perit, ut nihil amplius ejus, qvod in obligatione erat, illi præſtari poteſt. Idẽ valet de objecto qvod in obligatione eſt, ut deſinas v. g. ad traditionem rei obligatus eſſe, cum res tradenda periit. Nam tradere qvod non eſt, contradictio eſt. Deſinit *deinde* obligatio, cum manentibus licet ſubjectis relationis fundamentum intercidit. Qvando obligatio fundatur in re permanente, ſtatim ut illa perit, etiam relationem obligationemq; ejus perire neceſſe eſt; ita deſinit ſimile vel æqvale eſſe alteri, qvod deſinit tale eſſe quale erat, & qvamvis utrumq; relatorum æq; immutetur, non tamen durat ſimilitudo vel æqvalitas priſtina, ſed nova inchoatur. Qvando autem obligatio fundatur in actione tranſeunte, qvæ ſemel nata continuam rebus æſtimationem peperit, fieri non poteſt ut relatio auferatur, niſi contrario aliqvo facto, contrariam inter eosdem relationem pariente, evertatur. Ita obligatio, qvæ ex generatione oritur inter pa-

rentes & liberos, tolli neqvit per ullam naturæ potentiam, at qvæ ex merâ partium voluntate pendet, ut obligatio patris & filii adoptivi, eâdem utrinq; immutatâ solvitur, & quæ à traditione rei exurgit, ejusdem restitutione, qvæ ab operâ præstitâ, pari vicissim præstatione evanescit, neq; minùs si mutuo consensu aliud pro alio, æs pro merce, merces pro labore &c. tanqvam æquivalens rependitur. Quia verò fundamenta relationis alicujus sæpe plura sunt, aut idem etiam non uni vel personæ vel parti annexum, fit ut neq; extingui penitus possit obligatio ejus, nisi omnibus illis fundamentis vel fundamenti unius nexibus solutis, aliàs pro eâ tantum parte extinguitur, quâ fundamentum ejus solutum fuerit. Ita patria potestas sublato jure civili, secundùm ea, quæ inde ipsi accesserunt, tollitur quidem, manet tamen illa, quæ naturali generatione nititur: item obligatio tam activa qvàm passiva defuncti, qvæ bonis ejus cohæret, ad hæredes, qvæ officio, ad successores transmittitur, & obligatio institoris, qvà talis, etiam ejecto illo penes dominum manet. Similiter qvi pactionem iniit, qvâ mutuum in partes jus transfertur, suæ qvidem voluntatis mutatione facit, ne alter ipsi obligetur, non autem ne ipse alteri, aut si qvis pro parte mutaverit voluntatem suam, pro parte etiam obligationem alterius dissolvit, atq; ita suo qvisq; juri, non tamen alieno, nec in detrimentum alieni juris renunciare potest.

§. 18. Obligationes igitur, qvæ ab ipsâ essentiâ & naturâ obligatorum fluunt, multò sunt arctiores illis, qvæ aliunde accedunt, qvandoqvidem nullo facto vel casu immutari possunt, ideoq; qvamvis augeantur homogeneis obligationibus aliis, non tamen imminuuntur heterogeneis accedentibus, sed illas potiùs limitant atq; temperant, ne qvâ in re sibi obsint. Hinc primò obligatio

sub-

subordinationis erga Deum, ut nostri pariter ac omnium rerum auctorem summum & rectorem perpetuum & obligatio inæqualitatis, qvâ ipsi ut enti præstantissimo conditionem nostram infinitâ perfectione superanti tenemur, omnibus aliis potior est, & in omni aliâ subordinatione nostri semper salva esse debet. *Act. IV. 19.* Neq; Deus ipse potest hac obligatione homines exsolvere, sicut neq; facere potest, ne ipsius creaturæ sint, nec ab ipso dependeant. *Psal. C. 2. seq.* Deinde nec æqualitatis & coordinationis obligatio, qvæ hominibus inter se mutuò qvà hominibus intercedit, nisi cum naturâ ipsâ aut commercio omni humano dissolvi potest, ideoq; in omni aliâ inæqualitate & subordinatione, vel qvicunq; esse potest, relationis & obligationis modo, semper illibata manet, ut qvæ vi ejus nobis invicem debemus officia, nunqvam liceat negligere. Nam ad illud primum omnes recurrunt leges aliæ de hominum inter se officiis *Rom. XIII. 9.* Ad eundem modum de omnibus aliis obligationibus ea firma est regula, qvod nemo novis implicari possit, ne erga Deum qvidem, nisi ad qvas subeundas sui potestatem habet, & unde à priore aliâ obligatione non retrahitur, *vid. Num. XXX. 6. 9. 13. 14.* Dissolvere enim qvi priorem obligationem, & adstrictam illâ potestatem laxare cupit, ita supra eam debet positus esse, ut fundamenta ejus, voluntates, res & facta, qvibus conflata est, pro arbitrio immutare possit. Hinc est qvod Deus pro summo & illimitato suo in omnia dominio plura possit eximere vinculo legis naturalis, seu materiam legi naturæ substratam tollere (qvæ Theologorum sveta phrasis est) ubi mutatio homini concessa non est, dum subjecta immutat, ne sibi sint amplius æqvalia vel inæqvalia qvæ erant, ut cum Nebucadnezarem Regem inter bestias abjecit, & inde reduxit ad thronum *Dan. IV.*

30.33. vel potestatem obligantis imminuit, sive tacitè flectens sive imperio cogens illum, ut qvod habebat jus, remittat, ut Pharaoni eripuit populum Israëliticum, *Ex. IV.22.seq.* & ad vasa illi concedenda Ægyptios flexit, *c.III.21. seq. c.XII.33.seqq.* aut potestatem homini in hominẽ ampliorem reddit, & uni aufert qvod alteri dat, qvo titulo terram Cananæam deletis incolis Israëlitæ occuparunt, & occupationẽ illam contra Ammonitas defendit Jephta *Jud.XI.23.* aut deniq; arctiore alio mandato, nos adstringit, qvo non affectus, sed potestas præstandi, qvod in obligatione aliâ minore est, tollitur, ut cum Abrahamum jubet mactare filium qvamvis charum sibi & obseqventem, *Gen. XXII.2.16.* Qvalia qvædam tamen & in civitate possunt magistratûs, & domi patres familias, qvorum arbitrio & obligans & obligatus subsunt; qvod vulgò *jus dispensandi* vocant.

§. 19. Quandoquidem verò relationes illæ, unde procedunt obligationes nostræ etiam μονόπλευροι, inter duos terminos versantur, & in utroq; illorum fundantur, ut supra §. 3. docuimus, fit ut obligato omni geminam officii sui æstimationem pariant, & duplici motu voluntatem dirigere debeant, tum in objectũ, ut ipsi cupiat qvod illi convenit, tum in agentem ipsum, ut sicut se decet agere studeat. Ille motu amoris est, hic cautelæ, ille felicitati alienæ prospicit, hic nostræ integritati, ne detrimentum capiat. Cautela evitandi peccati semper agnitionem officii præsupponit sive certã sive incertam; Amor verò felicitatis alienæ potest ulteriùs extendi, quàm quò obligationis opinio ducit, attamen ut virtutis atq; officii nostri esse æstimetur, utiq; à relatione, quæ inter nos & objectum intercedit, eã metiri oportet. Cum enim sine justâ causâ amor in alium fertur, etsi fortasse nulli officio nostro adversus est,

est, nec laudem tamen meretur, neq; sanctitatem moribus addit, sicut fit cum ex regulis justitiæ fluit. Sed ille tamen sic justus amor, quamvis sit actus justitiæ, ab eâdem certo etiam modo distinguitur. Nam specialiore sensu ea demum *justitia* dicitur, quâ agitur secundùm obligationem speciali nexu nos adita agendum cum objecto hoc potiùs qvàm quovis alio devincientem, ut fit in relatione dependentiæ: *amori* verò acceptum fertur id, qvod etiam ex generali obligatione, solo nostro judicio ad objectum applicatâ, procedit, ut fit in relatione nudæ comparationis. Quo sensu idem sæpe officium & ex justitiâ & ex charitate deberi dicimus, id est, ex speciali & generali obligatione, & amoris latiùs qvàm justitiæ officia patent, ita ut Paulus virum bonum, qvi ex amore agit, præferat viro justo, qui id præstat, adqvod speciali lege devincto est *Rom. V. 7.* idemq; prædicationem Evangelii, quâ ex fixâ sibi lége fungebatur, posthabeat prædicationi gratuitæ, qvam apud Corinthios propriâ judicii libertate elegerat, *1. Cor. IX. 16. 17. 18.* ex amore salutis ipsorum, *ib. vers. 19. seqq.* quamvis generali obligatione nixo, ne sc. Evangelio Christi impedimentum daretur, *ib. v. 12. 23. seqq.* aut falsis doctoribus irrependi occasio, *II. Cor. XI. 12.* Non tamen synonymæ sunt generalis hæc amoris, & mediata illa obligatio quam disp. 1. §. 8. descripsimus. Nam etsi omnia, quæ à generali obligatione fluunt, etiam obligationis mediatæ sunt, generalis tamen obligatio vocatur ut applicanda est ad casum præsentem, mediata, ut est applicata, nec omnia etiam quæ mediatæ obligationis sunt, fluunt à generali, qvia hæc tantùm dicitur in ordine ad judicium nostrum, illa magis in ordine ad judicium alienum. Nam leges humanas servamus non ex obligatione generali amoris, sed speciali justitiæ, qvamvis mediatâ.

§. 10. Amo-

§. 10. Amoris igitur, ut ab obligatione universalis justitiæ fluit, & specialiùs sic dictæ justitiæ actûs omnes complectitur, summum præceptum est, *Matth. XXII. 36. seqq.* in quâ legis impletio habetur *Rom. XIII. 8. seqq.* & in qvo Deo quàm maximè assimilamur, *I. Joh. IV. 7. seqq.* quandoquidem, sicut ille, interno magis principio impulsi agimus, cum amore ducimur, dum justitia specialiùs dicta externâ nobis lege atq; regulâ regitur. Effectûs & virtutes, qvæ variæ ab amore fluunt, latè enumerat Paulus, *I. Cor. XIII. 4. seqq.* Dum enim bene cupimus alteri, impellimur ut benefaciamus tum re, quæ *liberalitas* vocatur, tum operâ nostrâ, qvam *officiositatem* quidam vocant, tum ipso agendi modo, seu morum & verborum suavitate, quã *humanitatem* appellant. Præterea amoris est, obligationibus passivis activas post habere, id est, jure suo cedere, ut eò feliciùs possis qvod oportet præstare, atq; adeò offensiones alienas communi hominum societati & cognationi donare, neq; facilè irasci cum læsus es, quam *mansuetudinem* appellant, neq; vindictam vel reparationem injuriæ ultrà quàm necessitas relationis & officii jubet, urgere, quæ *magnanimitas* appellatur. Quin & judicium aliqvod amoris est, quo alienæ mentis atq; consilii expertes, malumus optima quæq; de illis credere, & quæ ambiguam interpretationem habent, in meliorem partem accipere, juxta illud Pauli l. c. *credit omnia, sperat omnia,* & vulgatum verbum: *qvisq; præsumitur bonus*; & sic probitate ac ingenio alios nobis meliores æstimare, juxta *Phil. II. 3.* quod *modestiam* vocant, idq; ut eò certiùs ab omni ejus injuriâ abstineamus. Nam nocenti nulla fit injuria, si credatur esse innocens, at innocenti fit, si etiam in dubium vocatur integritas ejus. Quod judicium amoris tamen non ultrà justum est, qvàm quousq; innoxium est, & ab alio

alio nos officio non abducit. Nam cum de damni imminentis præcautione agitur, judicio prudentiæ opus est in contrariam partem, qvo in communi hac morum corruptione non absurdè dictum est illud Hobbesianum; *quisq; præsumitur malus*: qvod & ad confessionis sacramentalis forum trahunt Jansenistæ, qvòd ibi *præsumtio sit contra reum*. Non qvòd re verâ pessimè credere oporteat de aliis, quæ esset contradictoria priori obligatio, sed qvòd in re non satis certâ ita çautè versari oporteat, quasi improbus esset is, qvi cum agitur, ne si fortè præter spem nostram sit, damnum demus imprudentiâ.

§. 21. Specialior obligatio, quæ certo aliqvo dependentiæ modo nos objecto devincit, oritur vel ab eo, unde esse, statum & conditionem nostram habemus, vel à nobis ipsis factoq; nostro. A quo enim formati sumus, in ejus potestate sumus naturaliter, ut de nobis qvod lubet statuat. Qui enim pro suo lubitu dedit ut essemus, ab ejus voluntate, quanti sumus, pendemꝰ, ut & cum voluerit non esse & aliter esse oporteat. Atq; ita absolutissimum in nos est divinum imperium, qvia solâ ejus virtute orimur & consistimus *Jer. XVIII. 6. Es. XLV. 9. Rom. IX. 20. seq*, ut & Christi Regium in quantum nos acquisivit sibi in peculium redemtione nostri, *Tit. II, 14.* parentibus verò limitatum imperium est in liberos, qvi ex ipsis qvidem, non tamen vel solâ vel independente à Deo virtute illorum nascuntur, & postquam nati sunt, vitam quidem trahunt curâ & nutritione illorum adjuti, sed dependente à Deo, nec perpetuâ nec arbitrariâ, seu tali quam omittere liceat, cum ipsi parentes potiùs per πανοικίαν se Deo legibusq; naturæ ab illo positis ad eam curam interpretativè obligent; juxta illud: *qui vult antecedens, vult consequens*. Similiter qvi negotio aliqvem præfecit, in iis qvæ ad illam curam spe-

 ctant,

ctant, ipsi imperandi jus habet, & quicunq; aliqvod in nos imperium excercet, pro modo imperii nos alteri porro obligare potest, imò ei, cui ipse subest, ipso actu pariter obligat. Nam qui servum in potestate habet, etiam servi servũ habet, qvem vicarium Romani appellabant. Eadem vernarum, municipum, civium tracta à parentibus obligatio est. Qui quid utendum habendumve nobis concedit, circa modum usûs aut possessionis leges figere potest. Qui verò beneficium çonfert eo animo, ut se vel re vel jure, quod in nos contulit, abdicet, aut concurrit tantùm nobiscum, ut sine reservato sibi jure ea quæ habemꝰ, formam, vitam, fortunas, nobis conservet, illorum tamen usum ad sua vicissim commoda pro modo beneficii ipsâ re sibi devincit, aut si remittit etiam expressis verbis, ipsum tamen rependendi beneficii votum atq; studium animi, specialioremq; sui amorem remittere non potest, per ea quæ diximus §. 16. sed eò majorem ejus causam præbet, quò minùs aliam compensationem desiderat. Hæc est qvæ vocatur *gratitudo*, & species justitiæ est, unde *debitum* appellatur, *Rom. XV. 27. Philem. 19.* Sed beneficium intelligimus verum, qvo grati animi obligatio excitatur, non fucatum. Nam qvi ad corruptionem potiùs quàm commodum accipientis aliquid alteri largiuntur, odio potiùs qvàm amore digni sunt, in qvorum peccata consentiunt, qui se illis gratos præbent, vid. *Mich. VII. 3.*

§. 22. Multum autem interest inter illa officia, qvæ ab impositio nobis imperio (sive & à facto nostro) fluunt, & illa, quæ gratitudine solâ continentur. Nam illa, qvà talia, pendent à voluntate obligantis, potestate sibi competente vel concessâ uti volentis vel minùs, hæc ab ipsâ re & nostræ inferioritatis sensu, qvi accepimus, qvod non compensavimus. Unde porro illa, dum voluntati

alienæ

alienæ subjiciuntur, exigi determinatè possunt, hæc non item, sed nostro ipsorum judicio determinantur. Etenim possunt qvandoq; exigi qvædam certa ab ingratis, sed non simplice jure beneficii, sed jure vel reservati sibi imperii, vel in subsidium implorati. Etsi enim benefactori æstimandi aut æstimatum poscendi jus non est, ne tamen qvod viciſſim debetur, omnino negligatur, judex vicem ingratorum, qvid sui sit officii non æstimantium, supplet. Sed qvæ sic determinata exiguntur, non amoris aut grati animi effectûs sunt, sed in aliam justitiæ causam incidunt. Qvemadmodum enim amori litamus, cum generalem obligationem spontaneo judicio applicamus ad objectum speciale, ita gratitudini servimus, cum obligationem, qvâ certo objecto ad indeterminatum effectum tenemur, itidem spontaneo motu applicamus ad actiones determinatas. Eoq; respectu gratitudo species amoris est, qvo sponte determinat satisfaciendi modum, sicut priore respectu, qvo ad personam, cui satis fieri debet, aliunde determinata est, ad justitiam specialiter dictam suprà à nobis reducta est. Et sic justitia, qvæ semper determinatæ regulæ nomen est, non tantùm objecti determinatione ab officiis amoris, sed & contractâ denuo significatione, per determinationem rei vel actionis à gratitudine distinguitur; & qvi vel amoris puri vel gratitudinis alienæ determinationem expectare tenentur, imperfectum jus respectu eorum, qvi determinatius qvid exigere possunt, habere dicuntur. Potest tamen eadem obligatio ex pluribus causis oriri, potest & mixtâ qvâdam ratione inter gratitudinem & justitiam intercedere, propiore ad alterutram accessione, v,g. si incertum qvid stipuleris, cujus æstimatio arbitrio vel promittentis vel boni viri definiatur. Nam qvatenus electio vel æstimatio

ipsi relinqvitur, grati animi est qvod fecerit, qvatenus certam æstimationẽ in subsidium poscendi jus est, justitiæ.

§. 23. Quæ à nobis ipsis oritur obligatio specialis, vel voluntate & consensu nostro constituitur, potestatem aliqvam à nobis in alium sive tacitè sive expressè transferente, vel ipsâ re, id est, alienæ rei vel juris attrectatione, quâ nos satisfactioni reddimus obnoxios. Voluntate nostrâ id omne possumus in alium tranferre, dare vel promittere sive explicitè sive implicitè, cujus ipsi potestatem habemus, id est, qvod nostrum est, & ad qvod nobis retinendum alteri obligati non sumus, nec minùs illam operam alteri præstare, cujus ratione nostri juris sumus, & quod ita validè datur, præstatur vel promittitur, licet accipere, nisi aliqvod in nobis ipsis nostriq; erga aliũ obligatione sit impedimentum. Attrectatio autẽ juris & rei alienæ alia fit cum consensu domini seu formali seu interpretativo, ut in contractibus realibus & qvasi talibus, alia sine consensu, & contra voluntatem ejus, qvod fit in delictis. Contractûs reales à consensualibus hîc non distinguimus secundùm placita juris prudentiæ Romanæ, sed ex naturali ratione, qvâ omnis contractus qvà talis consensualis est, & ex parte ejus, qui jus, rem vel operam alienam quocunq; titulo accepit, tantùm fit realis. Juris attrectationem vocamus quamvis molestiã, quam alter alteri creat, unde is immunis esse poterat: ad attrectationem autem rei alienæ referimus etiam, si quis rem suam possideat, recipiat, poscat, ab alio novâ formâ, parte, ornatu auctam, aut alienis impensis vel operâ conservatam, qvia qvod accessit rei meæ, vel ejus durationi sine tali ope perituræ, alienum est. Rei communionem etiam pertinere ad rei alienæ attrectactionem, facilè patet, qvoniam qvod pro parte indivisâ habetur, id est, ita ut ab eo, qvod alterius est, distinctum non sit, non potest haberi, qvin simul qvod alte-

alterius est attingas, & ex eo, qvod attingis, ipsi tenearis. Qvæ causa est, qvòd si de eo qvod fit in re communi, lis oriatur, potior sit ratio prohibentis, qvòdq; nemo (nisi alia obligatio urgeat) invitus teneatur in communione manere, sed rerum divisiones naturali jure introductæ sint. Ad læsiones & delicta etiam referimus rei alienæ possessionem, quæ bonâ fide fit, & vindicationi locum dat. Nam tenemur scire id qvod ad dirigendas actiones nostras necessarium est, & siqvid ex errore intellectûs etiam invincibili admittitur, materialiter tamen peccatum est, *vid. suprà cap. 3. §. 14. & 19.* Qvemadmodum autem voluntas inferioris in voluntate superioris continetur, ut qui nostri potestatem habet, nos quoq; suo arbitratu alteri obligare possit, ita viciſſim, qvæ sibi detinet aut attrectat inferior, illis actionibus, ratione qvarum alteri subjectus est, in superioris potestate & mediatâ licet possessione vel qvasi sunt, ut is eo nomine etiam ad satisfaciendum, seu cogendum ut satisfiat, teneatur. Neq; potest inferior tale qvid agere, qvin aut contra eum, in cujus potestate est qvantum ad tales actiones, peccet, vel eum saltim virtualiter consentientem habeat, & sic vel uterq; imperans & parens se obliget alteri, vel inferior se obliget utriq;, & superiori, & extraneo cujus rem vel jus attrectat.

§. 24. Habent igitur hoc commune contractûs reales & delicta, qvòd ad restitutionem vel compensationem (qvanta qvidem fieri potest) obligent. At illa compensatio, ad qvam omni læso lædens tenetur, non est pœna, sed illa demum, qvæ imperio propria est. Ut enim aliæ injuriæ aliis modis cuiq; relationi & statui propriis, ita injuriæ imperanti qvà tali illatæ pœnis compensantur. Qvâ in re enim qvisq; contra imperantem inobedientiâ peccavit, in eâ imperium ejus excussit, ideoq; ad illud restituendum non sufficit in posterum obe-

dientem esse, sicut neq; sufficit ad res ablatas restituendas, nullas amplius eripere, sed ut relatio ex facto orta non nisi contrario facto contrariam relationem habente elidi-tur, ceu docuimus §. 17. ita qvò levius atq; contemtius habitum est imperium, eò postea gravius & molestius id subire, & sic in ferendis iis, qvæ aliàs ferre non debuisses, vim ejus acriorẽ experiri oportet. De qvâ compensatione qvantum qvisq; dominus & imperans remittit, tantum de imperio suoq; jure cedit. Unde fit, ut Deus, qvi imperium habet in nos & summum & absolutè necessarium, non magis possit sine pœnæ exactione homini peccata condonare, qvàm illi permittere ut sui juris & lege divinâ solutus sit. Qvam æternam & immutabilem Dei justitiam ex passione Christi elucescentem Paulus *Rom. III. 25. seq.* nobis indicat. Et qvia omne qvod peccatur contra legem Dei, divino in nos imperio adversum est, fit ut omne delictum pœnæ obnoxium sit. *Rom. I. 32.* At ille, qvi in aliâ qvàm imperii causâ læsus est, qvamvis poscendæ satisfactionis, & nisi vel publica lex & ordo judiciorum, vel amoris officia, aut id genus alia obstant, etiã cogendi jus habeat, non ipsam tamen pravitatem animi, factiq; illegalitatem vindicare pœnis potest. Multò minùs cuivis obvio non æq; nocenti pœnam à reo exigere fas est, qvæ Grotii hypothesis fuit, contra *Luc. VI. 37. Rom. XIV. 10.*

§. 25. Vulgaris est distinctio justitiæ in *universalem & particularẽ*, sed particularis justitiæ tam obscura & ambigua apud scriptores definitio, ut certos ejus limites, & an cum illâ conveniat, qvæ amori & gratitudini opponitur, difficile sit invenire. Nam definitionem Ulpiani, *perpetua & constans voluntas jus suum cuiq; tribuendi*, & omne juris prudentiæ civilis officium alii particulari alii universali justitiæ applicant. Aristoteles particularem tum negativè digno-

dignolcit à terminis aliarum virtutum, utid omne illâ notione comprehendat, qvod ad aliud virtutis nomen reduci nequit, tum positivè ab observato medio inter lucrum & damnum excessûs. Quos characteres si conjunctim accipias, excluduntur à justitiâ particulari omnes stipulationes & contractûs propriè dicti, quorum officia etiam à veracitate pendent, imò omnis evitatio injuriarum atq; delictorum, quippe quam & modestia & humanitas imperant; sin accipias divisim, ut vulgò fit ab interpretibus, qvi simpliciter in rerum externarum vel detentione vel concessione eam verti docent, omnia etiam amoris & gratitudinis, & sic justitiæ universalis officia potest hæc definitio complecti. Nam qvâ vocis latitudine *5. eth. 7.* Aristoteles lucrum tribuit percussori, eâdem etiam maledico & ignavo id potuisset tribuere *cap. 4.* quippe suâ petulantiâ suâq; fugâ fruenti cum alieno damno. Nobis hîc, ubi non tam de re ipsâ, qvàm de sententiis philosophorum & formandis juxta illas vocabulis quæritur, operæ pretium non videtur, omnia curiosiùs examinare, qvantum tamen mentem disputantium assequimur, videntur philosophi in hac distinctione particularem justitiam potissimùm considerare, ut in foro versatur, ideoq; (1) ut inter partes cõmuni judici subjectas, & sic non ut inter subordinatas, sed ut inter coordinatas vel oppositas obtinet. Nam de æqvalitate tantùm, non & de inæqvalitate inter illas inveniendâ soliciti sunt. (2) non ut vel animum vel actionem afficit, sed ut res ipsas, qvæ partibus utrinq; obveniunt, & curæ magistratuum præcipuè subjacent. Nam in rerum inter se comparatione instituendâ subsistunt, neqve sanè dum de inæqualibus ad æqvalitatem reducendis loquuntur, vim & fraudem inter partes dividi volunt aut justitiæ studere illos censent qui se mutuò æqualiter læ-

dent.

dent.(3) ut cuiq; ad res illas determinatum juseſt, adeoq; non ut in cauſis amoris, liberalitatis & gratitudinis obtinet, ſed ut in contractibus & delictis vel qvaſi talibus, de qvibus actiones in foro proditæ ſunt. Nam ad illas tantùm obligationes recurrunt, cum qvibus modis ſuum cuiq; tribuatur, exponunt. Imo plerique omnes contractûs μονοπλευρὲς inde videntur excludere, cum illam non niſi in diviſione & συναλλαγμάτων correctione occupari ajunt. Quare arctiſſimam & valde inadæqvatam eſſe oportet in illâ diſtinctione juſtitiæ particularis notionem.

§. 26. Particularis hæc juſtitia diſtinguitur vulgò in *diſtributivam* & *commutativam*, qvarum illam Grotius attributricem hanc expletricem appellat, non verbis tantùm, ſed & ipsâ re à communi ſententiâ diſſidens. Diſtinctionem hanc aliàs philoſophi non eodem modo explicant, dum alii diſtributivam juſtitiam in omni partium ad totum comparatione ponunt, alii in obſervatæ tantùm dignitatis & meritorum differentiâ, qvæ in membris participantibus eſt. Grotius verò inde qvòd perſonarum dignitas hîc reſpiciatur, omnem tam beneficii privati qvàm muneris publici collationem iſtuc refert, eaq; propter novum *attributricis juſtitiæ* vocabulum invenit, ſicut & propterea qvòd reſtitutio ablati propriè non ſit permutatio, *expletricem* illam juſtitiam appellare maluit, qvâ hominum inter ſe commercia reguntur, & illam aptitudini ſeu juri imperfecto, hanc facultati tanqvam juri perfecto reſpondere cenſet. Attamen aptitudo non eſt jus, neq; facultati ſubordinatur ut perfectæ qvalitati imperfecta, qvod ille perperam putavit, cum facultas agentis ſit, aptitudo objecti, neq; magis ab aptitudine ad debitum licet argumentari, qvàm à poſſe ad eſſe, vel ab utili ad neceſſarium. Beneficiorum cuiqve libe-

libera administratio est, privato judicio (ut supra diximus) ad objecta & agendi modum applicante, qvod generalis obligatio amoris reqvirit, unde ea res non pertinet ad justitiam strictè dictam; at cum pro meritis dantur, vi permutationis dantur, perinde ut pœnæ, non verò vi distributionis, quod putant Aristotelici. Certè compensatio talis uni dari potest, ad distributionem plures concurrunt. Imò justitiâ distributivâ alter alteri non obligamur nisi ex jure communionis, ut pro parte suâ, quam in re communi habet, cuiq; satisfiat. Quippe nullam vinitoribus primis fecit injuriam pater familias, cum illis mercedem non eâdem proportione augeret, qvâ auxerat ultimis, *Matth. XX. 13. 35.* quia opes conductoris non erant conductoribus communes. Illa verò communio & communionis imparitas sive perveniat à sorte ad societatem datâ, sive ab operâ in illam collatâ, sive à quâvis aliâ causâ, omnino perinde est, & cives cum à divitiis, vel generis aut muneris dignitate æstimantur, qvisq; ut pars reipublicæ major vel minor æstimatur, pro qvâ illis tam commoda qvàm onera communia ferenda sunt.

§. 27. Quòd justitia commutativa arithmeticam, distributiva geometricam proportionem seqvatur, πολυθρύλλητον etiam ex Aristotele axioma est, sed nihilo felicius ipsâ utriusq; justitiæ divisione. Dum enim qvid voces illæ velint, (ut magno consensu, ita nullo cum fructu à Mathematicorũ foro ad dòctrinam moralem tractæ) non nisi confusè à plerisq; intelligitur, multa etiam & inanis de illis, nempe qvâ proportione vel in pœnis vel in præmiis opus sit, disputatio oritur. Proportio, explicante ipso Aristotele *5. eth. 6.* æqvalitas rationis est, ratio verò est respectus qvantitatis ad qvantitatem, id est, vel æqualitatis vel excessûs & defectûs: adeòq; proportio in geminâ terminorum ratione consistit, qvorum primus ad secun-

dum se habet, ut vel idẽ ad tertiũ, si proportio sit continua, vel tertius ad qvartum, si sit discreta; ratio verò inter duos tantùm terminos versatur sive æqvales sive inæqvales. Distinctio autem æstimationis geometricæ & arithmeticæ non nisi inæqvalium rationum est. Si enim excessus & defectus æstimatur in ordine ad terminum correlatum, à qvo alter terminus excedit vel deficit, dicitur geometrica ab usu geometrarum, sin in ordine ad communem aliqvam mensuram partium, dicitur arithmetica, à simplice numeri progressu. v. g. ratio binarii ad ternarium geometrica est subsesqvialtera, arithmetica est deficientis unitatis. Ergo geometricæ proportionis est, 2. 3 :: 6. 9:. arithmeticæ 2. 3 :: 6. 7: Ubi verò terminorum est æqvalitas, nulla inter utramq; proportionem differentia datur. Nam v. g. 3. 3 :: 4. 4: & geometricè & arithmeticè procedit. Ex his principiis patet, qvòd ubi non est gemina terminorum ratio, id est, duplex diversarum qvantitatum ad se æstimatio, ibi nulla omnino sit proportio propriè, & secundùm definitionem Aristotelis ita dicta, item ubi ratio quidem gemina, non tamen inæqvalis est, distinctioni proportionis geometricæ & arithmeticæ nullus locus esse possit. Unde in cõmutatione rerum, quandocunq; illa tantùm, quæ auferuntur & redduntur, vel detinentur & conceduntur, immediatè inter se exæqvantur, frustra & præter rem qværitur de proportione, qvam illa inter se habeant. Idem dico, si qvod multis placet, pro inveniendis istic qvatuor terminis, rebus acceptis & datis addantur personæ accipientes & dantes, nec personarum tamen inæqvalitas aut numerus correorum ipsi contractui rebusq; permutandis variationem afferat. Ubi autem cõmutandarum inter se æqvalitas ad diversas conditiones vel rerum vel personarum æstimanda est, geometricâ semper terminorum proportione non minùs qvàm in divisione rem ab-

absolvi, etiam pueri in scholâ norunt, cum ex regulâ Trium (in qvam & societatis regula resolvitur) sanè geometricâ, & in prop. 19. l. 7. Euclidis, de reciprocâ proportione laterum in qvadrangulis æqvalibus, fundatâ, calculum pro qvarto proportionali inveniendo instituunt. Ad rerum conditionem autem æstimatur æqvalitas, qvoties non idem specie fit aut restituitur, qvod datum aut factum est, aut etsi idem, non tamen eâdem mensurâ æstimatum, sed rerum diversarum, diversive pretii aut mensuræ exæqvatio qværitur, ut hordei ad triticum, vel lecti ad domum, qvod Aristotelis exemplum est. Ad personas verò fit æstimatio vel (1) dantes & compẽsantes, qvoties amoris & gratitudinis causa vertitur, tunc enim officium cujusqve potiùs in animi studio, qvàm in re præstitâ observatur, adeoqve non ab objecti tantùm dignitate vel indigentiâ, sed & nostrâ agendi potentiâ ejusqve circumstantiis pendet; vid. de eleemosynis *Marc. XII. 43. seq. II. Cor. VIII. 12.* vel (2.) compensationem accepturas, quoties animus & studium agentis potiùs qvàm res aut facta compensanda sunt, ut meritis præmia, demeritis pœnæ respondeant; tunc enim non qvanta res retribuenda sit simpliciter, sed quanta illi sit quæritur, cui retribuenda est, qvantoqve eum sensu afficiat, ut inde honore vel opibus augeri vel deminui censeatur. Nam sicut cum mercede qvis conducitur, aut damnum dat, nihil interest, spontene an invitus, alacriùs ne an morosiùs rem agat, dummodo vel fiat op9 qvod debuit, aut damnum datum sit, de eo verò, qvi præmium meritorũ aut delicti pœnã expectat, multùm interest: ita nec ad determinandam mercedem aut damni compensationem interest, dives qvis an pauper sit, interest autem ad præmium & pœnam. Inde fit igitur, ut in paritate meritorum plus & honotis & pecuniæ debeatur nobilibus & divitibus qvàm plebejis & pauperibus, in paritate delicti verò honoratis & divitib9 minor ignominia & major multa sit indicenda, nec cum ita fit, ullum crimen προσωπολημψίας admittatur, maximũ verò si merces à nobilibus venditas majoris qvàm venditas à plebejis æstimare velis, vel contrà, aut cum de capite agitur, cujus regulariter cuiq; æqvalis cura atqve sensus est, in nobilem & pauperem inæqvaliter jus dicas. Hanc communem regulam præmiorum & pœnarum cum ratione duce animadverterent

philosophi, & geometricam tamen proportionem soli divisioni propriam esse auctoritate Aristotelis sibi persvaderent, omnia disputationibus confusa sunt, qvæ cum spurium illud axioma abjectum fuerit, omnia plana & expedita erunt.

§. 28. Possumus autem justitiam strictè dictam, si pro diversis actionum generibus peculiarem ejus vim consideramus, in plures dividere sive species sive partes. (Nam de his vocibus superflua & inanis contentio est, qvarum usus à variante apud homines justitiæ conceptu pendet.) Qvippe præter commutativam (qvò promissiva, restitutiva, & retributiva utcunq; referri possunt) & divisivam, etiam dantur elective & correlativa, quæ ad illarum neutram pertinent. *Correlativa* generaliter qvidem omnis justitia appellari posset, qvia omnis refertur ad alium, at hoc loco, cum aliud vocabulum commodius desit, strictiore qvodam vocis usu denomino illam, quatenus tendit ad relationē cum correlato conservandam, & ad ea officia præstanda, qvibus integra & illibata conservatur, v. g. ut dominio alterius respondeat nostra servitus, imperio obseqvium, auctoritati reverentia, clientelæ patrocinium, amicitiæ par studium, fidelitati fiducia &c. Reliqvæ partes justitiæ omnes tendunt ad relationem, & quæ inde exurgit, obligationem expungendam; *promissiva* ad rem promissam præstandam, qvod qvi omittit postqvam dies & conditio venit, idem facit detinenti rem alienam, *restitutiva*, ad restituendum qvod ab alio habes, *commutativa* in specie dicta, ad dandum æqvivalens, *retributiva*, ad compensandum vel studium juvandi alios gaudio proprii incrementi, qvæ specialiter appellatur *remunerativa*, vel studium nocendi, aut negligentiam etiam officii præstandi, dolore proprii decrementi, qvæ est *punitiva*, tandem verò *divisiva*, ad id qvod confusè habetur, certâ parte concedendum, & *elective*, ad id qvod confusè debetur, sed haberi simul nequit, certæ personæ assignandum. Interest enim inter divisivam & electivam justitiam; ad illam conveniunt plures copulativè, ut & hic & iste partem capiat, ad hanc disjunctivè ut aut hic aut iste rem habeat, sive pro gradu qvalitatis, sive pro prioritate temporis loci, juris. Utraq; tamen ex jure aliquo communionis pendet, qvo certo hominū generi ex peculiari agendi regulâ qvis tenetur, ut v. g. elective in concursu creditorū,

de

de prioritate in bonis non sufficientibus contendentium, aut aliorum ex diversis causis emtionis, dominii, retractûs, præscriptionis &c. pro re sibi addicendâ litigantium. Nisi enim commune jus propositum sit, ad qvod omnes concurrant, ita ut res cuiq; quodammodo debeatur, nulla est electionis justitia (nisi fortè per accidens, cum is cui obligatus sum qvâcunq; de causâ, aliis immixtus est, qvibus non obligor, & inde discernendus) sed merũ arbitrium. Sicut paterfamilias, cum ordo & momentũ solutionis ad rationẽ promissæ mercedis non intererat, non tantũ ex imparibus pares, sed & ex primis fecit ultimos sine læsione justitiæ, *Matth. XX. §. 15. 16.*

§. 29. Ut autem obligatio nobis varia ex variis causis oriri potest, ita & plures sæpe ad idem objectum eandemqve obligationem concurrentes, eam alterant, & alia atqve alia reqvirunt officiorum genera, qvemadmodum & JCti docent, minimâ circumstantiâ jus variari. Docendi qvidem gratiâ possumus, qvamqve obligandi causam seorsim considerare, cum difficile & propemodum impossibile sit, ad omnes pariter unâ mentis reflexione attendere; at in praxi tamen illas separare non oportet, sed ex relationibus omnibus, qvæ alteri nobiscum sunt, agendi mensuram sumere. Legum latores etiam ad obligationes plerumqve simplices tantùm respiciunt, & qvid ex causâ commodati, mutui, mandati &c. fieri oporteat, generaliter definiunt, & licet de qvarundam etiam concursu qvid moneant, omnes tamen illarum figuras, qvarum innumerabilis compositio est, complecti neqveunt. Unde fit, ut sanctiones legis ex concurrentibus aliis obligationibus in qvovis casu singulari judicis prudentiâ moderari debeant. Hinc distinctio orta est inter *strictum jus & æqvitatem*, & ex confusâ notione terminorum gravis de æqvitate disputatio, qvid? unde fit? & an scripta esse possit? &c. plerisqve jus in lege, æqvitatem in interpretatione collocantibus. Equidem certum est, nullam actionem justam esse posse justitiâ universali, nisi qvæ & æqua sit, sicut nulla perfectio esse potest, qvæ vitium habet, imò æquum & justum eo sensu sunt synonyma apud Latinos, quanqvam ἐπιείκεια apud Græcos sæpe de solo amore, quo cedimus jure nostro, dicitur, uti & inter amoris officia numeratur *Jac. III, 17. Tit. III. 2.* at justitia particularis ab æquitate differt ut forma particularis à totali.

tali. Nam quatenus uni obligationis causæ satisfit, quã lex seorsim exprimit, appellatur justitia, quatenus reliqui omnes etiam amoris nexûs, ad eandem causam concurrentes observantur, æquitas. Errat, qui à formâ partiali totum subjectum simpliciter & absolutè æstimat, *v.g. homo est rationalis, E. immaterialis; immortalis.* Nec minùs peccat, qvi actionem totam ab inadæqvatâ ejusmodi justitiâ æstimat: *promisit, E. exigendum est; accepit, E. restituendum.* Quemadmodum enim actio civilis v.g. ex stipulatu, in se justa est, at exceptionibus sæpe variis eliditur, ne justa sit actoris intentio, ita cum sola obligatio stipulationis consideratur, justa potest esse exactio promissi, at cum obligationes amoris qvasi exceptiones rei inopis, necessarii, benefactoris in aliâ causa creditoris, errantis, consiliis suis frustrati &c. adjiciuntur, jus exigentis compensant, tollunt vel imminuunt. Idem dicendum de exceptione juris per se validâ, at per ejusmodi causas vicissim elisâ. Ita verũ est illud comici; *summum jus*, qvod uni obligationis causæ strictè inhæret sine consideratione aliarũ, *summa est injuria*: qui videtur quidem rigor juris esse, dum unum axioma pressè urges, at revera est defectus & neglectio juris, dum ad concurrentia alia non attendis. Hoc sensu explicatam æqvitatem nil obstat scriptam esse, & multas inde leges laudari, ut laudantur certè, & aliæ, quæ uni causæ obligationis ita inhærent, ut ad alias attendere prohibeant, iniqvitatis arguuntur. Distinguunt nonnulli etiam legem duram vel asperam ab iniquâ, ubi *duram* vocare videntur, qvæ excludit exceptiones & replicas merè excusantes, qvas audire amoris esset, v.g. ab inopiâ, errore facti proprii, ignorantiâ juris positivi &c. *iniquam*, quæ excludit causas etiam defendentes, qvæ specialiorem obligationem afferunt, ut à publico favore sexûs & ætatis, culpâ adversarii, abusu privilegii &c. qvanquam pro sermonis libertate, & accusandæ vel excusandæ legis studio non idem semper vocum harum usus aut explicatio auditur. Certum autem est, rariores esse leges civiles in considerandâ generali amoris obligatione, nisi ipsam contractûs vel delicti causam speciali modo afficiant atq; alterent, unde & nota distinctio inter causas bonæ fidei & stricti juris, quòd non ubiq; judici moderandæ ex æquitate legis libertas relinquatur, uti neq; omnibus specialibus obligationib9, quæ juris naturæ sunt, jus civile

vile assistit. Sed alia legitatoris ratio est, alia civis, ille necessitati reipublicæ prospicit, ne dum amori operatur, fraudi & injustitiæ pateat occasio, & qvandoq; mala minora permittit necessariò, ne eveniant pejora alia, hic verò in qvoq; casu & negotio cum aliis oborto officium suum potiùs ex verbi divini & rectæ rationis ductu, quàm ex legis civilis auxilio metiri debet.

§. 30. Qvia autem omnis justitia fundatur in aliqvâ relatione, neqve obligatio est nisi inter obligantem & obligatum, constat sibi ipsi in propriâ & strictâ vocis significatione neminem obligari posse. Veruntamen ut inter terminos ratione tantùm differentes, vel à subjecto eodem abstractos, etiam relatio qvædam rationis est, ut suprà §. 2. docuimus, ita nec rationis qvandam obligationem, qvâ per analogiam aliqvam vel dicendi tropum quis sibi ipsi obligatus esse dicatur, negare possumus. Accidere id autem potest triplici qvâdam ratione, (1.) cum qvis sui juris non est, sed ratione vitæ & conditionis subjacet alienæ potestati, tunc enim ut alteri ad se conservandum sibiq; aliqvid præstandum obligatus est, etiam sibi ipsi est, qvia in ipsum immediatè redundat, qvod ex voluntate alterius agit, & agere tenetur. (2.) cum certas voluntatis regulas certumq; finem sibi qvis proponit, & secundùm illarum ductum aliis studiis & cupiditatibus suis legem figit. Nisi enim appetitûs particulares universali respondeant, contradictione fluctuabimus, & finem nostrum ipsi destruemus, qvi adeò si bonus honestusq; est, id est, subordinationi voluntatis & intellectûs, objectoqve ipsi congruus, nos nobis ipsis obligat. (3.) cum diversas animi virtutes corporisve partes inter se comparamus, illarumq; harmoniam & subordinationem per modum imperii civilis concipimus, exemplo Pauli, *I. Cor. XII. 14. seqq.* vel ut Plato *4. de rep.* in harmoniâ partium animæ propriam universalis justitiæ naturam constituit, & nos primum honestatis naturalis principium posuimus suprà *cap. 3. §. 12.* tunc enim ut quæqve pars alteri respondere debet, ad servandum naturalem agendi ordinem, illi obligata est. Itaq; qvia homo Dei creatura est, animo & corpore ad illum colendum adstrictus, in cujus manu atq; potestate vivit, ad illa omnia sibi conservanda obligatus est, qvæ semel amissa humanâ virtute recuperare neqvit; & qvia naturali ac indis-

indispensabili necessitate se ipsum amat, sibiqve bene esse cupit, ut *cap.* 4. §. 27. docuimus, debet sibi eâdem necessitate omnia, qvæ ad hunc finem, ut certo intellectu regitur, pertinent, & aliis officiis adversa non sunt, debet viribus animi & corporis objectum occupationis, certosqve *labores*, conservandæ sanitati *temperantiam* vitæ, honori nativo *gravitatem* morum & *pudicitiam*, ne dignitatem corporis diffusâ libidine prostituat atqve polluat. Nam dum in corpus suum peccat scortator, *I. Cor. VI.* 18. utiqve illi ad castitatem obligatur. Denique debet intellectus voluntati lumen, hæc illi obsequium, & postqvam homo naturaliter non potest nisi prava velle, actûs bonos verò non nisi à Spiritûs S. gratiâ & concessis inde viribus habet, etiam spiritui pleniſſimum obsequium ad mortificationem carnis debet, ut in omnibus officium faciat. *Rom. VIII.* 12. *seqq. Gal. V.* 24.

§. 31. Duximus ita summas obligationis nostræ lineas, ex naturæ qvidem lumine fluentes, S. Scripturæ tamen calculo probatas, & specialioribus ejus exemplis ac præceptis certiùs pleniùsqve nobis innotescentes, unde omnis philosophia nostra non tantùm confirmatur, sed & dirigitur, uti ab inductione specierum genericæ definitionis certitudo exurgit. Qvia autem in omni obligatione prior ratio est objecti, cui obligamur, altera causæ, unde obligatio procedit, rectè fiet, si eo ordine etiam penitiores moralis doctrinæ recessûs excutientur. Objectum obligationis primũ Deus est, deinde aliquomodo angeli, utpote naturâ & conditione nobis superiores, postea ipsi nobis objecta sumus, & porro alii homines tum dignitate superiores, tum pares, tum inferiores, etiam infantes, deliri, mortui, tandem bruta suo modo & ipsi diaboli occurrunt, adversus qvos, tanqvam hostes & insidiatores ἀσπόνδους, armare se oportet. Cum unoqvoq; objecto causa obligationis naturalis præcedit eam, qvæ ex facto est, & qvæ ex facto alieno, tanqvam necessaria nobis, antevertit arbitrariam, qvæ à nobis ipsis oritur, & qvod ex qvâqve causâ rectè fit, ordine naturæ primùm cognosci debet, quàm qvod peccatur. Hac viâ sine confusâ oberratione patebit ad qvamq; officiorum classem considerandam aditus, & per omnes qvæstionum salebras bono cum Deo expeditum iter.

CAPUT VI.

De NATURALI ERGA DEUM OBLIGATIONE.

§. 1.

Reſpond. JOHANNE GEORGIO POLCHOVIO, Boſſoviâ Mecklenb.

PRimum obligationis noſtræ objectum & dignitate ſuâ & ordine naturæ Deus eſt, ut rebus omnibus ita nobis qvoq; exiſtendi cauſa, omnisq; ſimul honeſtatis & juris vinculi fons & origo. Tenemur illi obligatione tum naturali tum ſuperinductâ. Naturalem vocamus eam, qvæ ipſam utriusqve correlatorum, Dei noſtramqve, coëxiſtentiam conſeqvitur neceſſariò, neq; vel alio fundamento indiget, qvo introducatur, vel abſtrahi à nobis ullo modo poteſt: ſuperinductam verò, qvæ abeſſe poterat, & à libero ſive Dei ſive noſtro facto demum excitatur. Omne qvidem, qvod in nobis eſt, & ipſa exiſtentia ac natura noſtra à libero Dei facto nos ita creantis pendet; at in hac diſtinctione de illo Dei facto loqvimur, qvod exiſtentibus jam nobis accedit, neq; uteſſemus reqvirebatur. Anteqvam enim exiſtat homo, Deo obligatus formaliter non eſt, etſi in cauſâ ſui aut decreto divino jam poteſt virtualem & futuram aliqvando obligationẽ contraxiſſe. Naturalis igitur obligatio ea demum dicitur, qvæ nobiſcum oritur, & indiviſo nexu cohæret, ſuperinducta verò, qvæ aliam cauſam habet. Neq; opus eſt ad vim hujus diſtinctionis exhauriendam, ut abſtrahamus conceptum genericum à ſpecifico, quemadmodum naturâ prius beneficium eſt qvòd ſimus, qvàm qvòd homines ſimus ſenſu & ratione præditi,

diti, qvia sine humanâ naturâ nulla est hominis obligatio. Verùm si conceptum accidentalem essentiali conjungimus, qvòd integri corpore, sanâ mente, honestis natalibus sati, tum & qvòd peccato originis corrupti simus, qvòd vitam diutiùs trahamus &c. qvæ omnia avelli à nobis poterant, ut & sine illis essemus homines, non nisi latiore sensu potest naturalis dici, qvæ inde oritur obligatio: ad naturalem tamen non absurdè refertur, qvia ejusmodi conditiones nobiscum ortæ sunt, & ex causis iis pendent, unde ipsa nostri individualis existentia determinatur, vitæq; & providentiæ divinæ necessitas ad continuandam obligationem naturalem reqviritur. Qvæ verò ad reparandum Adami lapsum Deus generi humano præstitit ante ætatem nostram, qvia anteqvam nobis per gratiam Spiritûs S. applicantur, nostra non sunt, ad superinductam obligationem utiq; pertinent. Atq; adeò sicut ille hominis status, naturalis vulgò dicitur, qvi statui gratiæ opponitur, secundùm eundem sensum nunc qvoq; de obligatione naturali loqvemur, & hominem irregenitum sibiq; relictum, ut non nisi communibus naturæ beneficiis gaudet, unicè sub hac obligatione considerabimus, unde tamen & nos, ad qvos Evangelium Dei pervenit, petere possumus, qvæ ad usum nostrum pertinent.

§. 2. Naturalis hæc obligatio erga Deum ex duplici fonte promanat, nempe duplici relatione, qvæ nobis cum ipso intercedit, alterâ comparationis, alterâ dependentiæ. Comparationis relatione ipsi cedimus ut viliores præstantiori, infinitâ naturæ excellentiâ suprâ nos eminenti, dependentiæ verò relatione illi subjicimur, ut res creata creatori, plus etiam qvàm massa figulo, utpote qvi non formam tantùm externam, sed totos nos qvicqvid & qvanti sumus, creationi & conservationi divinæ debemus.

mus. Obligatio, qvæ ex comparatione oritur, laxior qvidem est, & libertati judicii nostri magis relicta, qvàm illa altera, prior tamen qvodammodo est, etsi non tempore tamen naturâ, dum dependentiæ relatio magis voluntatem, qvàm essentiam Dei sequitur. Comparatione obligamur per ipsam existentiam Dei & nostram, dependentiâ per modùm existendi, qvem ab ipso habemus. Ergo illam prius qvàm hanc à nobis considerari par est.

§. 3. Ut agnoscamus esse aliqvem Deum, urget omnes homines inevitabilis animi propensio: stimulamur ad id naturali lumine, qvod & insitum menti freqventer in omni rationis usu scintillat, & à contemplatione rerum qvæ sensibus obversantur, fortiùs inflammatur. Cujus evidentia tanta est, ut genti nulli excusationem aliqvam supereſſe Apostolus pronunciet, qvo minùs ipsum agnoscant, qvi tam manifesta sui dederit documenta, *Rom. I.* 20. Etenim habet sibi inditam à naturâ hanc habitualem inclinationem humana mens, ut crescente rationis usu unum aliqvod rerum principium & summum rectorem mundi anticipatione qvâdam disputationibus motibusq; suis instar fundamenti supponat: qvod principium, planè qvemadmodum regulæ logicæ, usu ipso prius habetur, & sic anteriùs nobis ante omnem rationis usum ineſſe animadvertitur, qvàm speculatione addiscitur. In rerum causas cum inqvirimus, progressus in infinitum vulgato omnibus verbo est absurdus, certam aliqvam primam causam dari, unde omnis reliqvarum series promanet, nemo nisi qvi vim sibi facit, in dubium vocat. Neq; tamen omnis infinitas nobis absurda videtur (ut oporteret sanè, si qvod Carteſio placet, à finitate intellectûs nostri infinitam causarum seriem complecti nescientis, illa absurditas nobis unicè oriretur)

non certè absurdus videtur progressus infinitæ duratio-
nis, aut successionis temporum futuræ, longitudinis,
multiplicationis, divisionis, sicut à numerandarum re-
trò causarum infinitate abhorremus omnes. Neq; (qvod
aliis placet) à primâ rationis regulâ, qvæ est contradicti-
onis fuga, ausim id directò repetere, qvia ut nihil præter-
itum est, qvin aliqvando fueritpræsens, ita nihil etiam fu-
turum est, qvin olim evadat præsens, & infinita tamen fu-
turorum series facilè, præteritorum difficillimè, imò vix
unqvam seriò admittitur. Neq; etiam (qvod Sociniana
gens causatur) traditioni majorum illam nobis persvasi-
onem tantũ acceptam ferre possumus, cum conscii nobis
sumus, qvàm omnem alienæ institutionis memoriam hæc
hypothesis antevertat, & ut nulla unqvam tam intimè fixa
& omnibus eadem esse soleat à præceptore ducta opinio.
Præterea in omni animi affectu Numinis nobis idea ali-
qva animo volvitur: omnis potentiæ admiratio ad sumum
aliqvod perfectionis exemplar assurgit, vires ingenii &
corporis, auctoritatem, felicitatem, ut umbras & apo-
spasmatia intuemur supremæ alicujus & perfectissimæ
excellentiæ, qvàm cogitatione complectimur. Non
putarim sanè talem nobis ideam inde à nativitate for-
maliter expressam inhærere, uti hodie qvidam philoso-
phantur; arte nostrâ fieri illam facilè consentio, ita ta-
men ut naturalem nobis omnibus illam propensionem
esse fateri oporteat, qvæ ad ejusmodi cogitationes pro-
pellit. Sic in summis angoribus ad supremum aliqvod
Numinis auxilium precibus, ejulatibus, votis recurri-
tur, à judice aliqvo occulto supremo, bono, justo, spes
subita etiam desperatis, metus protervis ingeniis obori-
tur. Erigit in adversis & angit in mediâ felicitate sæ-
pius conscientia factorum honestorum vel turpium, ut
pro

pro viâ, qvam quisq; se novit instituisse, ab altissimâ qvâdam occultâq; providentiâ gratiâ vel vindictam expectet. Etiam ut agas, quod nolis, pungit freqventer obligationis internæ sensus,& secretus pudor retrahit impetum cupiditatis: aut si quis sibi ipsi indulget, aliorum tamen mores non potest qvin tali censurâ notet. Qvæ res ut de lege innatâ, ita & de legis latore, naturæ nostræ auctore, nos certiores reddit. Accedit foris multitudo & varius ordo rerum creatarum, cœli & tempestatum vicissitudines, fertilitas terræ,rupium per flumina dissectio, structura animantium admirabilis, & in primis corporis humani, & mille alia, qvæ de auctore suo primo testantia, innatam menti notitiam illustriore lumine perfundunt, nec sinunt ignorare eum, cui tam arcto nexu obligati sumus,*Es. XL. 26. Job. XII. 7. seqq.* P*s. XIX.* 2.

§. 4. Ante omnia igitur hunc naturæ ductum seqvi, illiqve adhærere oportet hominem, atqve ab omni incuriâ & petulantiâ ingenii igniculos hos extincturi penitus sibi cavere. Officium hoc esse omnium in toto orbe hominum, ut cognitionem Dei sibi curæ habeant, docet Apostolus, cum Athenis in areopago dicens, propterea mortalibus terram colendam datam esse inqvit, *ut qværant Dominum, an contingere & invenire eum detur, utiqve non longè ab unoqvoq; nostrum remotum Act. XVII.* 27. Dignitas certè rei urget, dum in hac contemplatione animus defigitur, ut qvàm firmo fundamento nitatur perpetua divinitatis persvasio, ulteriùs consideret, qvicunq; altioris philosophiæ se capacem esse animadvertit. Omnes tamen homines non pollent isto acumine ingenii, ut examen ejusmodi sustinere possint, præstatq; simplice obseqvio naturale lumen tanqvam ducem seqvi, qvàm qvæ ipsi fides habenda sit, disputare. Qvem demonstrare nescis,sufficit credere

Deum, *Hebr. XI. 6.* Certè dubitare de existentiâ ejus neq; ad horam licet, sicut neq; ad horam improbum esse. Non potest de Deo suspendere judicium, nisi qvi auctoritatem ejus apud sese, & reverentiam ipsi debitam suspendit. Unde improbanda omnino est Carteſii methodus, qvæ homines per viam non fictæ sed seriæ dubitationis ad cognitionem Deitatis ducere conatur. Adde qvòd periculosæ res sit aleæ, in ejusmodi labyrinthum abducere animos, unde emergendi non est cuiq; expedita facilitas. Fugere igitur profanos sermones, & qvàm à natura habemus mentis convictionem omni sophismate potiorem æstimare par est. Tutiùs saltim (si qvod hic erroris periculum subesse posset) erraretur reverendo aliqvam majestatem summam qvæ non est, qvàm non agnoscendo eam qvæ est.

§. 5. Si qvis autem tantum pollet ingenio, ut adversus cavillationes profanas sese studeat verâ ratione munire, attendere potest, qvantopere & rationis & sensûs interſit, hanc sibi certitudinem excuti nolle. Enimverò si illa, qvæ tali anticipatione mentis circumferimus, in dubium vocari possunt, actum est de omni intellectu humano, & communibus qvibuscunq; principiis. Unde enim novimus, idem non posse simul esse & non esse, nisi qvia veritas illa nobiscum nata est? Evidentior qvidem illa logicæ regulæ veritas est, sensuq; ipso seu interno seu externo faciliùs deprehenditur, qvàm qvæ de existentiâ Dei, seu primo rerum principio & summo Rectore animis impressa hæret, & sic qvoq; difficiliùs perditur, (etsi perditur tamen qvandoq; in furioso & fatuo) sed ipsa sensûs evidentia etiam ne fallat & fallere putetur, certè à naturæ anticipatione est. Sensus meus & judicium rationis nostræ non sunt causæ veritatis & rerum, neq; res neceſſa-

cessariò omni sensuum & mentis apprehensioni sunt conformes: veritatem tamen non possumus qvin ex his fontibus infallibiliter dijudicemus. Qvod ipsum si probè consideramus, deprehendimus certissimam Numinis vim, qvæ mentem nostram sensûsq; rebus conformes fecit, & talem certitudinem nobis indidit: cui adeò summo Numini conditori nostro credimus, si nobis credimus, cumq; nobis credimus, ipsi etiam ut credamus in nobis ipsis de se testanti necesse est. Eqvidem dantur qvidam cõmunes hominum errores: sensus rerum qvarundam perpetuus ita mentem phantasiâ occupat, ne aliud qvid, qvàm qvod illis conforme est, nobis imaginari possimus, & qvia imbecillitate judicii plerumq; imaginatio cum purâ cogitatione confunditur, ut cap. 3. §. 8. monuimus, pro absurdo habetur vulgò id, cui imago mentis nulla respondet. Inde Hobbesii orti sunt, qvi mera corpora crediderunt, & propterea vel Deum nullum, vel corporeum esse professi sunt: inde Henr. Mori, qvi Deum ad instar telæ extensum esse putarunt, neq; ὅλον ἐν μέρει, totum in qvâlibet parte spatii spiritum capere potuerunt. Ita ab animadversâ corporum extensione & distantiâ, *spatii*, à motu perpetuo, qvo nos fluere animadvertimus, *temporis* ideam indelebilem gerimus, ut ejus initium, terminum vel exemtionem aliqvam, id est Deum temporis & spatii differentiæ non subjectum, Sociniani pro absurdo habeant, mundum finitum Cartesiani. Non aliter solis qvantitatem à qvantitate illorum, qvæ ante pedes jacentia sub eodem angulo videntur, vulgus dijudicat, ut contrarium sibi nolit persvaderi. At summi, æterni, invisibilisq; Numinis, qvæ in mente nostrâ hæret, prolepsis à simili rerum sensu non generatur, sed qvò magis ab illo remota est, eò manifestiùs deprehenditur cum ejusmodi vulgi erroribus nihil commune habere.

§. 6. Ar-

§. 6. Argumenta hæc eadem, quæ Deum esse docent, docent etiam esse unum, neq; primum rerum principium aut summum arbitrum mente volvimus, qvin à pluribus principiis & summis rectoribus naturaliter abhorreamus. Ipsi gentiles πλύθεοι de origine & politiâ Deorum fabulati suo exemplo docuerunt, qvàm ad unam communem causam atq; providentiam agnoscendam occulta illa naturæ vis animos trahat. Qvippe infinita summa, prima, perfectissima qvi credit, nihil summum, primum aut perfectissimum credit; qvi verò certo numero illa definit, locum relinqvit naturali qvæstioni de causâ ipsius numeri, anteriore & communi. Eadem argumenta docent etiam Deum esse naturæ simplicis & perfectissimæ: nam qvod omnium primum est principium, ipsum non potest aliunde compositum esse: qvod omnium rerum causa est, suamq; cuiq; perfectionem indidit, ipsum omnes eâ perfectione naturæ necessariò superat. Unde totum hunc mundum cum Spinosa Deum vocare, est nullum Deum agnoscere, hominesq; inter se pugnantes, deliros, fatuos, protervos facere partes Dei, id est entis primi, summi & perfectissimi, ut iste fecit cum prævio Weigelio, non est nisi fatuam insaniam profiteri. (Digna ejus delirio demonstratio est, qvâ *l. 1. eth. propp. 6. prioribus* utitur, qvòd omnia sint una substantia, nec dari possint plures substantiæ ejusdem attributi, qvippe qvæ non nisi diversitate attributorum distinguerentur, qvòdq; sic nec una substantia ab aliâ produci possit, qvia deberent aliqvid commune inter se habere, id est, ambæ unio attributi esse, cum effectus per causam intelligatur. Quasi (1.) res tantùm attributis genericis, non præcipuè seipsis suâque existentiâ singulari à se mutuò distinguantur (2.) effectus ex causâ ut ex attributo com-

communi, non verò ut ex relativè oppoſito cognoſcatur.) Oportet igitur eos, qvi agnoſcunt eſſe Deum, eum etiam ut Deum glorificare, id eſt, dignas Deitate cogitationes de illo habere, nec ſtultis ejusmodi vanitatibus ſeſe dare, qvibus gloria immortalis Dei in vanum qvodvis phantaſma transfunditur, *Rom. 1. 21. ſeqq* Oportet (ut ſcholaſtici loqvuntur) per viam cauſalitatis ex ejus operibus omnipotentiam, ex lege naturæ ſanctitatem, bonitatem & juſtitiam, per viam eminentiæ ex humanâ ſapientiâ omniſcientiam & providentiam divinam agnoſcere, & per viam negationis, ex rerum caducitate ejus æternitatem, mutabilitate, ejus immutabilitatem, partibilitate & mole corporeâ immaterialitatem, determinatâ menſurâ immenſitatem & omnipræſentiam &c. concludere.

§. 7. Ita igitur cognitio exiſtentiæ & naturæ divinæ per ſe ipſam nos obligat ad honorem illi, qvo dignus eſt, habendum, etiam anteqvam animum ſubeat dependentiæ noſtræ conſideratio. Errant ſanè Remonſtrantes, qvi omne jus Dei in nos à creatione ita derivant, ut niſi ab illo conditi, ſed undecunq; ab alieno principio in hunc orbem projecti eſſemus, vel etiam per nos ipſos ab æterno tales, qvales nunc ſumus, extitiſſemus, nullâ nos illi obligatione devinctos fuiſſe cenſent. Etſi enim hypotheſis ejusmodi in ſe abſurda eſt, cum Dei id natura poſtulet, ut omnium rerum, quæ præter ipſum ſunt, principium ſit, nihilq; ſine eo exiſtere poſſit; poſito tamen ejusmodi caſu, qvo ſub qvâvis mentis abſtractione citra dependentiam à creatrice Dei virtute hominis ad Deum relatio inſtituatur, certum eſt, qvod & ex ipſâ naturæ immenſâ inæqvalitate menſuram actionum noſtrarum erga Deum accipiamus. Foret tamen Deus,

qvanqvam nullo nobis beneficio notus, digniſſimũ occupationis noſtræ objectum, cujus contemplatione animũ delectemus. Qvi enim animadvertimus illam intellectûs noſtri perfectionem eſſe, ut obſervet objecta omnia, qvæ vel in nobis vel circa nos occurrunt, eòq; nos delectatione majori capi, qvò plura & majora contemplamur, qviq; pro naturali amore noſtri optimam menti perfectionem non debemus invidere, utiq; ut illam ad Deum tanqvam ſummum ens elevemus, ejusq; admirabilem agnoſcamus excellentiam, obligamur nobis ipſis, & ut cognitum amemus, & pro ſumâ dignitate ejus qvàm honorificè de ipſo ſentiamus, tum intellectui obligamur voluntatem dirigenti, tum Deo ipſi omnia amoris & honoris argumenta præbenti. Si homini putamus injuriam fieri, cum ejus non æſtimatur virtus, qvid putabimus Deo fieri, ſi illi honorem, qvo dignus eſt, denegemus? Ipſa res poſtulat, ut infinitam illam excellentiam, quâ nos ſuperat, venerabundi ſuſpiciamus, ejusq; revereamur præſentiam, bonitatem & juſtitiam admiremur, favoremq; nobis ſive conciliare ſive conciliatum conſervare ſtudeamus, qvemadmodum Regum Principumq; exterorum majeſtatem jure meritoq; reveremur, etſi illis nullo alio nomine devincti ſimus, & animi corporisq; dotes etiam in privatis amare & laudare par eſt. Ita magnitudinem Dei conſiderat propheta, *Jerem. X. 6. ſeq.* cum à comparatione ejus cum quâvis aliâ excellentiâ infert, quantopere ipſum revereri oporteat, & *Apoc. XV. 3. ſeq.* ſancti in cœlis triumphantes ab eminente Dei ſanctitate idem concludunt. Ita etiam apud Theologos conſtat, fundamentum adorabilitatis religioſæ non niſi ipſam Deitatem eſſe, & actualem adorationem gentium omnium non minùs ab illâ cauſâ magnitudinis divi-

divinæ qvàm à creatione deduci, *Psalm. LXXXVI. 9. seq. Ps. XCV. 2. seq.*

§. 8. Præterea si & ab hac naturæ divinæ excellentiâ, & qvæ inde nascitur, comparatione disqviparantiæ abimus, sola certè disparatio & mutua independentia, quæ æqviparantiæ & paritatis comparatio est, nos homines nobis invicem obligat, ne alter alterum aliqvâ in re lædamus, nec sive contemtu animi sive verbis vel factis injurii simus, *vid. Cap. superior. §. 12.* Quæ eadem causa utiq; & erga Deum eandem nos obligandi vim haberet, etiamsi neqve imperii neq; excellentiæ ejus nos cura tangeret. Porro cum omnis attrectatio rei alienæ, nisi ex consensu fiat domini, species delicti sit, ut *eod. cap. super. §. 23.* docuimus, constat, qvod Deo & ob domicilium, qvod inhabitamus, hujus inqvam terræ aërisq; usuram, & alimenta, qvæ ex ejus fructibus percipimus, teneamur, qvamvis ipsi vitam naturamq; nostram nos non debere fingas. Ista enim omnia cum Dei bona sint, qvare nostris usibus teneretur concedere? Qvi in territorium principis vel in fundum privatum ingreditur, potest inde arceri, aut legibus, sub qvibus id ipsi permittitur, subjici, & propterea tenetur dominum fundi revereri: idem sanè nobis parendi jus est sive à Deo conditis sive aliunde in hunc ejus mundum incolis venientibus, saltim si per liberalitatem nobis absq; aliâ lege ejus usum fructum concederet, à grati animi obligatione non essemus immunes. *conf. Hos. II. 8. seq.* Adde qvòd & præsidio ejus opus sit contra imminentia pericula, qvæ ipsi à nobis avertere non possumus. Unde patet qvàm graviter â veritate aberret illa hypothesis, qvæ omne Dei jus nostramq; erga illum obligationem unicè à creatione arcessit.

§. 9. Majoris tamen longèq; arctioris obligationis est dependentia à creatione nostri orta. Qvæ non tantùm directionẽ mentis ex agnitâ Dei præstantiâ fluentem fortiùs adstringit, sed & vim illi coactivã adjicit, & officium nostrum ad qvamvis arbitrariam Dei voluntatem extendit, ut obedientiâ absolutè sumâ, universali atq; indispensabili illi subjiciamur. Conceptus qvidẽ honoris suâ naturâ prior est conceptu obedientiæ, qvia seqvitur nudã causam præstantiæ, ut eam ipsum honorantis judicium suppeditat, interim dum obedientia expectat voluntatem imperantis, imò & obedientia actus qvidam honoris est, ejusq; certam qvandam determinationem exprimit: conceptus tamen obedientiæ plenior est, majoremq; honoris gradum designat, præsertim erga Deum quæ est obedientia omnem necessariò honoris, qvi illi debetur, latitudinem exhaurit, cum omnis à naturâ fluens honoris directio lex qvædam Dei æterna sit, qvi per communicatam eam mentis regulam nos sibi conformare voluit. Interim naturæ ordo postulat, ut conceptus simplicior primus in intentione sit, atq; inde honor Dei tanqvam primũ & præcipuum hominis officium consideretur, qvò omnes ubiq; terrarum gentes invitantur, *Psalm XXIX. 1. seqq. Psalm. LXVI. 2. Ps. LXXII. 19.* & conseqventer etiam tanqvam ad ultimum finem omnes actiones humanæ referuntur *1. Cor. X. 31. 1. Petr. IV. 11.*

§. 10. Honor est vel internus, qvi in mente est, vel externus, qui in actionibus illis consistit, qvæ signa mentis sunt. Internus est actus mentis, qvo præstantiam alterius agnoscimus & secundùm eam dignè illum excipere cupimus, ideoq; æstimatio quædam rei practica est, quæ non tantùm ab intellectu, sed & à voluntate procedit. Differt honor à reverentiâ apud Latinos

nos, ut plus ab eo qvod minus est; nam *reverentiæ* voce tunc utimur, cum cavemus ne alteri aliqvâ in re disciplice amus, ejusve culpâ nostrâ lædatur auctoritas, *honorem* appellamus, cum etiam colimus & observamus, & qvanti æstimemus, positivis actibus cupimus testari. Agnoscimus autem & excipimus præstantiam alienam, comparando eum vel nobiscum ipsis vel cum aliis: supra qvos autem alium extollimus, illos infra ipsum vi correlationis necessariò deprimimus, & sic tantum sibi ipsi qvisq; detrahit, qvantum alteri supra se honorem defert. Cultus ille honoris ut magis adstringitur agnitione imperii nostræqve dependentiæ, qvàm qvâvis aliâ comparatione, ita pro arctiore dependentiæ vinculo, graviorem solicitudinem animi exposcit. Qvi imperium externum respicit, qvale inter homines est, non minus ac ille, qvi in solo gradu comparationis subsistit, qvalem inter nos invicem observamus, *civilis* vocari solet, qvia in civili vitâ obtinet, illum verò honorem, qvi suspicit occultũ aliqvod & invisibile imperiũ in animum, actiones & fortunas nostras, qvale divinum est, ejusq; inæstimabilem præstantiæ excessum, vocamus *religiosum*, qvia solâ religione, tacitâq; mentis conscientiâ continetur.

§. 11. Convenit honor ille Deo summus, qvantuscunq; animo concipi potest, qvia & naturæ & dominii præstantiâ super omnia eminet: convenit & perpetuus, qvia utrâq; & comparationis & dependentiæ obligatione nos pariter & creata omnia sibi perpetuò devinctos tenet. Summus honor dicitur juxta scholasticos vel appreciativè, cum nulli alii tantus honor habetur, qvantus Deo, vel intensivè, cum de honore, qvantuscunq; haberi potest, simpliciter nihil deminuitur. Non ille

tantùm sufficit Deo (ut qvibusdam moralis doctrinæ corruptoribus visum est) qvi etsi major omni alterius rei honore, multum tamen infra sortem Dei consistere potest; præsertim si qvis omnium rerum contemtor sit, absurdè crederet à generali in omnes peccato suum qvoq; officium erga Deum imminui: sed ut eminentia divina omnem nostræ æstimationis vim superat, ita nullo gradu honoris, qvo major dari potest, ipsi satisfit. Idem dicendum de tempore, cujus etsi omnia momenta actuali cogitatione de Deo operosa habere non tenemur, cum multarum nobis rerum cognitio subjiciatur, neq; ita conditi simus, ut simultaneo actu mentis omnia complecti possimus; possumus tamen & debemus habitualem talem Dei æstimationem omnibus actionibus nostris substernere, ut undecunqve illa eluceat, & ad freqventissimos honoris actûs nos deducat, *Psalm. LXXI. 8. 1. Petr. IV. 11. conf. Gal. I, 5. 1. Tim. I. 17. c. VI. 16. &c.* nec unqvam sine honore & reverentiâ animi maximâ ejus recordemur, *Ps. XXIX. 2. Ps. LXXXVI. 12.*

§. 12. Diffundit se a honor Dei in actûs habitûsve mentis varios pro agnitorum Dei attributorum, præcipuè relativorum varietate omnes eâdem sumitate non tantùm appreciativâ, sed & intensivâ debitos. Sic digna æstimatio perfectionis divinæ generaliter reqvirit amorem intensissimum, sicut scriptum est, *amato Dominum Deum tuum toto corde, totâ animâ, & omnibus viribus, Deut. VI. 5.* meditatio spiritualitatis & invisibilitatis ejus poscit studium impensius de illo cogitandi & qværendi, honor æternitatis & immutabilitatis, desiderium constantius illo fruendi, neq; veritatem honorabimus, nisi illi (si cubi se revelaverit) credamus, neq; bonitatem, qvin optimè de illo speremus, neq; justitiam & sanctitatem, qvin eam

eam imitari ſtudeamus, néq; poteſtatem, niſi obſeqvio præſtò ſimus, neqve omnipræſentiam & omniſcientiam, qvin revereamur, neqve ſapientiam, qvin providentiam admiremur & laudemus: atq; ſi honorem Deo verum, id eſt, ſummum habemus, neceſſariò etiam ſtudium hoc noſtrum, fides, ſpes, reverentia, obſeqvium, admiratio ſumma eſſe debet. Id eſt, ut & intenſiſſimo gradu in Deum ferantur, & omnem ſuperent amorem, fiduciam, ſpem, reverentiam, obſeqvium, admirationem &c. in alia objecta poſitam vel ponendam, & ſic etiam omnem fiduciam & amorem noſtri ipſorum. Qvia tamen in his omnibus fundamentalis noſtri amor abjici neqvit, ut patet ex *Cap. 4. §. 27.* etiam inde moveri fortiùs debemus, ut officia hæc Deo impendamus. Sic creatio tum noſtri tum omnium rerum, qvæ ad uſum noſtrum patent, argumenta & incitamenta illorum varia ſuppeditant, *vid. Pſalm. CIV. totus Pſ. CXXXV. 5. ſeqq. Pſ. CXLVII. 7. ſeqq.* imprimis experientia mirabilis providentiæ ejus, *vid. Pſ. C. VII. totus*, qvam non tantùm reverenter laudare ubiq; ſed & in judiciis particularib9 obſervare, etiam qvando ejus rationem perſpectam non habemus, modeſtiæ eſt, imperitiam noſtram cum infinitâ Dei ſapientiâ comparantis, *Rom. XI. 33. ſeq.* tum verò noſtra indigentia, ut ejus porro beneficia nobis ſupplices precemur, *Jon. 1. 6.* dummodo tamen ipſius honor omni honore omnibusqve commodis noſtris nobis ſuavior ſit, ejus amor omnes dolores noſtros vincat, ne quâ acerbitate; metu, ſpe vel gaudio alio inde dimoveamur. *Pſ. LXXIII. 25. ſeq.*

§. 12. Honor externus eſt indicium interni vel ſermone vel geſtibus corporis vel qvâvis aliâ actione datum, qvæ vel ad Deum ipſum diriguntur, vel de Deo apud alios

alios testantur. Ad Deum diriguntur sermones precum, laudes & gratiarũ actiones, qvibus nos ejus non tantùm magnitudinem & dominium agnoscere, sed & ope indigere, & beneficiis ornatos esse profitemur, ad qvas Deo fundendas in Psalmis Davidicis passim omnes gentes sedulò excitantur. *Ps. XCVI. 7. Ps. C. 1. Ps. CXVI. 3. Ps. CXVII 1.* Erga Deum qvidem non opus est voce, nedum multâ voce, qvi & mentem nostrã intelligit, & omnia qvæ ipsi enarrare possumus, meliùs nobis perspectum habet. *Matth. VI. 7. seq.* Attamen animi impetus rumpit vocem, neqve ita creati sumus, ne de motibus animi intensioribus corpus & lingua participent. Eadem ratio est gestuum corporis, qvibus animum pronum & supplicem testamur. Qvin & verba & gestûs animum magis excitant & juvant ad ardentiorem venerationis motum, ut eò impensior sit honor, qvò magis linguâ & toto corpore in eum convertimur. Per se tamen nihili sunt, si animus absit, *Es. XXIX. 13. Matth. XV. 8.* ideoq; pro more & institutis populorum variant, ut idem sonus qvandoq; apud alios laus sit, apud alios vituperium, idemq; motus corporis alibi honori ducatur, alibi contemtui, omnes à consvetudine interpretationem accipiant. Debemus igitur Deo ea verba, eosq; gestûs corporis, qvos consvetudo fecit summi honoris atq; venerationis indices, ut corpore & animo illi serviamus: & qvia pro situ corporis nostri omnes communiter gentes superiorem locum pro digniſſimo, inferiorem pro viliſſimo habent, hinc elevatio oculorum in cœlum, expansio manuum, tanqvam ad sedem Deo digniſſimam indicandam, projectio in genua & prostratio totius corporis, tanqvam ad locum coram Deo infimum & humillimum, communiſſimi gestûs sunt eorum, qui Deum sup-

supplices veneratur, qvos S. Script. comendat, *Psf.* CXXI. 1. *Psf.* CXXIII. 1. *Psf.* XCV. 6. *Dan.* VI. 10. *Eph.* III. 14. *& adorationem* solet appellare. Debemus autem hæc Deo ut animi comites, signa & incitamenta, ideoq; non simpliciter & per se, sed tunc præcipuè cum motûs animi talibus adjumentis indigent, unde pro conditione corporis nostri & aliarum circumstantiarum etiam sine voce aut gestibus humilitatis sive omnibus sive operosioribus Deo honorem mente habere, aut precibus nostris alloqvi licet, ut Hiskias jacens *Es.* XXXVIII. 2. publicanus stans *Luc.* XIIX. 13. Deum precatus esse & placuisse illi legitur.

§. 13. De Deo ut apud alios testemur, qvantum illi honorem habeamus, & ipsum pars honoris externi est. Augetur enim honor objecti, qvando ipsi habetur à pluribus: æstimatio & propensa voluntas totius orbis utiq; major est æstimatione & propensione unius hominis, & sic etiam plus honoris habet, qvi ad eandem secum æstimationem & propensionem adducit alios plures. Qvum ergo Deo summus honor debeatur, debetur etiam celebratio nominis ejus inter plures, ut qvantum in nobis est totum orbem ad eum agnoscendũ atq; honorandum provocemus, *Psf.* IX. 12. *Psf.* XL. 6. *Psf.* LI. 15. 17. *Psf.* LXXI. 14. *seq. Psf.* XCII. 3. 16. *Psf.* CV. 1. *seqq.* Fit hoc tum colloqviis, informationibus atq; adhortationibus tum exemplis nostris & signis cultûs divini publicè erectis. Inde convocationes sacræ, ædes & loca publica in eã rem instituta sunt, & forma comunium sacrorum non tantùm comendata in scripturis S. *Gen.* IV. 26. *Psf.* XL. 10. *Psf.* CXI. 1. *Psf.* CXLIX. 1. sed & imperata populo Dei *Lev.* XXIII. 3. 7. 8. 24. 35. 36 *Heb.* X. 25. Qvæ res necessariò etiam tempus aliqvod certũ, qvod aliis negotiis subtrahatur, in qvovis populo reqvirit, arbitrarium qvidem pro circumstantia-

rum ratione, freqvens tamen & parvo intervallo repetitum, prout convenit zelo honoris divini, qvem habere nos oportet. Cumq; hexaëmeri creationis cyclo numerare dies sveverint Judæi, qvem divina revelatio suppeditaverat, satis convenienter septeno qvoq; die feriatio publica definita est, *Gen. II. 3. Ex. XX. 8. seqq.*

§. 14. In omnibus actionibus aliis honoratur Deus, cum id agimus illis semper, ut ipsi placeamus. Studium hoc placendi pars honoris divini est in ipso animo, dum illum ut exemplar omnis perfectionis respicimus, cujus imitatione aliqvam in nos umbram deducere gaudeamus, cujusq; judicio actiones nostras probari in summâ felicitate ponamus. Ecquem enim honorem nobis majorem optare possumus, qvã qvem apud eum, qvi ipse laudatissimus atq; honoratissimus est, obtinemus? Spernit judicium ejus, nec præsentiam nec potentiam ejus reveretur, qvi ipsi placere non omnibus modis, magisq; qvàm ulli alii cupit. *conf. Joh. V. 44. II. Cor. V. 9. 1. Thess. II. 4.* Placere autem Deo studemus, cum etiam in statu naturæ conformes nos gerere studemus illis regulis, qvas menti innatas habemus, & æternæ virtutis voluntatisq; divinæ inde indicium capimus, quod factis exprimamus, *Rom. II. 14. coll. cum v. 26. seq.* Studium hoc placendi & conformandi sese Deo anima est omnis actionis bonæ, sine qvo nec honor Deo fit, neq; ullus nobis apud ipsum honor acqviritur, juxta *1. Sam. XVI. 7. II. Cor. VIII. 12.*

§. 15. Obedientia propriè est, qvæ præter directionem hanc spontaneam etiam imperium divinum seqvitur, Deumq; ut supremum Dominum respicit. Est illa duplex, activa & passiva; illa, qvâ agimus, qvod ipse jubet, hæc, qvâ ferimus, qvæ ipse immittit; quæ utraq;

traq; tamen ita sibi mutuò innexa est, ut neutra fere sine alterâ esse possit: nam & dum agimus, motûs & alterationes corporis patimur, & dum patimur, actu mentis ejus obseqvio studemus. Distinguimus tamen utramq; ratione, & ab eo qvod prævalet in qvâq; obedientiâ, eam denominamus. Activæ qvidem obedientiæ, qvamdiu in statu naturali hominem consideramus, non ultrà locus est, qvàm rationis lumine æternam Dei voluntatem assequimur; extenditur tamen ejus obligatio ad omnia alia, qvæ jubere Deus posset si vellet, qvantumcunq; nobis dura viderentur; cujus illustre exemplum est in Abrahamo filium mactare jusso *Gen. XXII. 2, 12.* Eaqve debet homini esse promtitudo obediendi, qvæ omnem undecunq; petitam excusationem excludit, qvemadmodum Saulem anathemati ad opima sacrificia parcentem docet propheta *1. Sam. XV. 22.* uti enim creatio divina omne nobis esse, formâ & facultatem dedit, ita etiam usum virium nostrarum atq; motûs animi & corporis ejus imperio penitus sine exceptione subesse oportet. Qvicqvid verò ipse qui omnibus motibus nostris legem figere determinatam potuit, nostro arbitrio reliqvit, beneficio ejus adscribendum est, ad gratam tamen mentem in omni libertatis usu nos obliganti. *vid. supra cap. 2. §. 5. & cap. 5. §. 21.* Hinc porro concluditur, qvòd nemo possit sibi imaginari, qvòd de Deo bene mereatur, aut ipsum ad aliqvam compensationem sibi obliget, sive de condigno sive de congruo; qvas voces ex definitionibus scholasticorum non aliter distinguere possumus, qvàm ut æqvivalentiam simplicem & proportionatam, ut *de condigno* mereri dicatur, cujus opera per se æqvivalet præmio, *de congruo* verò cujus opus tantum est respe-

ctu agentis, qvantum est præmium respectu reddentis, ut v. g. pauperi benefacienti qvantum potest, dives referat qvantum ipse potest. Istius inqvam utriusqve meriti opinionem planè exulare debere, ab hac illimitatæ obedientiæ subjectione certum est. Cui enim qvicqvid rectè facere possumus, debemus, nullum qvantumvis leve beneficium fieri potest. *Job. XXXV. 7. Rom. XI. 35.* Ecqvis enim servo gratiam refert, qvod præstet, qvæ oportet? imprudentiæ foret, tale qvid postulare vel in animum inducere. *vid. Luc. XVII. 10.*

§. 16. Passivæ obediendiæ in statu naturali satis crebrò locus est, ut qvicqvid qvocunq; casu nobis obvenit, si præsertim sine culpâ nostrâ obvenit, tanqvam à divinâ providentiâ atq; voluntate immissum, lubenter & fortiter feramus. Subordinatio verò hujus obedienriæ tanta est, ut nullo unquam termino divinum in nos imperium circumscribere, aut jus ejus in dubium vocare liceat, quamcunq; etiam Deus, fortunam nobis largiatur. Etenim bonus est Deus, neq; mali quicquam creaturis suis cupit, qui etiam sontibus nobis de viâ gratiæ prospexit, & si quâ sorte asperiore exercet suos, meritos tamen, nec nisi ut ad salutem id illorum prodest, exercet. *Psalm. CIII. 8. seq. Deut. XXXIII. 3. jac. V. 11.* Creator non potest non amare quod ab ipso protectum est, quam diu tale est, ut ipse condidit, cum odium sit ejus rei, quam esse nolis; creatum verò quia ex creantis voluntate existit, & quà volitum placet, ita amatur etiam, ut ipsi cupiat Deus quod naturæ convenit. Illa tamen Dei bonitas non impedit, quò minus pleniſſimè ipsius potestati subsimus, ut idem destruere possit quos fecit, & quod dedit repetere, pro meliore naturæ conditione deteriorem dare, ex angelis homines

mines, ex hominibus bruta effingere si lubeat, labores, onera, damna cuiqve ut visum fuerit imponere &c. juxta *Job. I. 21. seq. c. II. 10.* Ac si quid ulteriùs ejus bonitas permitteret, nostra sanè subjectio permittere deberet. Sumus enim in manu Dei, fingentis & refingentis nos pro arbitrio, ad instar massæ figulinæ, *Jerem. XVIII. 6.* cui dum omnia debemus, nihil est quod adversus ipsum excipiamus. Enimverò si qua unquam eminentior potestas inter homines compescuit servorum querelas adversus dominos, quam ἀνευθυνίαν vocant Græci, longè rectiùs nos debemus supremo omnium Domino assurgere, neq; os tantùm sed & ipsos animi motûs compescere, ne quam nobis ab illo injuriam fieri posse arbitremur. Summa illa imperantium majestas, qvâ non licet eos in jus vocare ob durius imperium, multò excellentiùs elucet in majestate Dei, qvi nunqvam duriùs nos excipere potest, qvàm nostra est ferendi obligatio. *vid. Job. XXXVI. 23. Esa. XLV. 9.* Hac methodo compescuit Jobum Deus de asperiore fortunâ querulum, ut ille ab operibus potentiæ divinæ intelligeret vim imperii ejus cui obmurmuraret, *cap. XXXVIII. seqq.* & ipse Jobus suam agnoscit stultitiam *cap. XLII. 3.* & si testimonio innocentis vitæ vincens amicorum disputationes. *v. 7. seq.*

§. 17. Extendit hoc principium Amyraldus ad hypothesin supralapsariam, cum potestatem aliquam divinam innocentes æternis suppliciis damnandi inde deduxit, eòq; invidiosius reddidit ἀνευθυνίας nomen, quò ad horidiorem adhibuit conclusionem. Sanè multa in istâ viri disputatione occurrunt, quæ examen moralitatis sustinere nequeunt, cum v. g. eminentiam naturæ, muneris & potestatis, & in hac quoq; latronum victorias, jus verum dominatûs alteri in alterum dare censuit; neq; sine contradictione fingit, id à Deo fi-

ri posse, qvod æternæ ejus bonitati adversum est. Frustra etiam disputamus ex regulis justitiæ, cum Deum nobis conceptibus refingimus, qvia contra Deum nulla est justitia, sed secundùm illum, ipse omnis nobis recti & honesti norma est, qvi si mutetur, etiam justitiæ regulas mutari vel tolli necesse est. *vid. Cap. super.* §. 7. Cavendum tamen omnino est, dum pravas conclusiones oppugnamus, ne (qvod Curcellæo videtur accidisse) in alterum extremum incidamus, & imperio divino à creatione in nos redundanti, tanqvam à certæ mensuræ beneficio limites ponamus, ultra qvos si id progrediatur, immunitatem allegare liceat. Certè qvod Deus à se ipso impetrare potest, ut nobis immittat, nunqvam à nobis debet crudelitatis aut injuriæ postulari. Dimittit se qvandoq; ad humanum judicium, ceu videmus *Es. V. 3. Ps. LI. 6.* & preces accipit, qvibus legis æternæ justitiæ admonetur, ut *Gen. XVIII. 25.* sed id ex liberalitate merâ, ut illustriore documento nos bonitatis & constantiæ suæ convincat, non quòd ullo jure ad id adigatur, ut nos actionum suarum censores esse patiatur. Id quod agnoscens Abraham non sine veniæ præfatione preces suas repetit. *ib. v.* 27. 30. 32. Tacitum in creatione pactum vocari potest, quod Dei bonitas requirit, ut res creatas, quæ sensum mentemq; habent, naturæ quam dedit convenienter gubernaret, sed pactum spei, cujus interpretatio ab ipso, non à nobis pendet. Unde si crudeliter ac iniquè qvid à Deo fieri posse, fingere liceret, etiam innocentium æterna tormenta, in se ipsum potius naturamq; suam peccare illum posse fingeres, quàm in nos, quorum omne ab ipso jus est, quiq; nullâ exemtione gaudemus, quæ ipsum obliget, ut nobis rationem consilii sui reddat.

Es.

Es. XL. 13. seq. Ita Apostolus retundit objectionem eorum, qui nimium sibi confisi cum Deo de injuriâ in tali casu contendere audent: *quid ergo reprehendit nos? voluntati ejus* (nos obduraturi) *quis resistet? At*, inquit, *O homo, quis tu es, qui cum Deo contendas? an etiam dicet massa figulo suo, quare me fecisti ita? Rom. IX. 20. seq.* Neq; de jure nostro, sed de bonâ & sanctâ voluntate Dei disputamus, cum contra absolutam hominum reprobationem disputamus.

§. 18. Quicqvid adversus hanc Dei agnitionem, honoremve & obedientiam illi debitam admittitur, peccatum est. Peccant autem homines in hæc officia sua vel directò, negligendo curam Dei, negando, contemnendo, blasphemando ejus existentiam, præstantiam, sapientiam atq; alia attributa, quem generaliter appellamus *atheismum*, vel indirectè, honorem & quæ inde fluunt, obseqvium, timorem, fiduciam, quæ Deo debentur, aliis impendendo, qvam vocamus *idololatriam*. Atheismus gradibus distinguitur tum à causis inde revocantibus, ut eò fœdior sit, quo plura cuiq; suppetunt media ad agnoscendum & honorandum Deum ducentia, v. g. acumen ingenii, institutio majorũ, bonorum conversatio, fama vel experientia divinorum miraculorũ, singularia Dei judicia, &c. tum à progressu proterviæ, sive adversus ipsam Dei existentiam furientis, primùm cogitationes de Deo rebus aliis postponendo; deinde dubitando, in conqvisitis se dubiis delectando, tandem animum obfirmando, speculationem in praxin vertendo, insultando veritati æternæ. Cujusmodi homines describuntur *Ps. XIV. 1. seqq. Ps. LIII. 1. seqq. Ps. XLII. 4. 11.* sive circa naturæ divinæ excellentiam agnoscendam pravè delirantis, cum finitum, corporeum, impotentem

tera, turpium factorum auctorẽ sibi illum imaginantur, *Rom. I. 21. seqq.* sive deniq; agnito honorem suumvel imminuentis & negantis, *II. Tim III, 2. 4. Ps. X. 4.* in quâ classe imprimis impii sunt, qvi cum esse Deum fatentur, ejus tamen providentiam si non verbis tamen factis negant, legemq; & conscientiã honesti ac turpis sibi frustra datam esse autumant, suâq; Deum & auctoritate atq; sapientiâ, qvantum in ipsis est, exuunt, qvasi non curaret qvid ipse fecerit, legisq; qvam dedit observationem perinde haberet; qvâ major vel in architecto vel in principe homine nulla dari posset stultitia. Cujus impietatis magis arguuntur, qvi juxta vocem Epicuream quæ legitur *I. Cor. XV. 32.* suaviter in diem viventes nullas post mortem pœnas timent, postqvam tamen experientia compertum est, eos sæpè qui supra alios probi sunt, infelicissimè vivere & mori, homines verò profanos & maximè impios in omni luxu atq; voluptate vitam ducere atq; claudere. Qvod si semper fieret turbaret facilè animos etiam piorum juxta *Ps. LXXIII. 2. seq.* cum autem non minùs pluribus exemplis vindicem cœlestis Numinis iram doceat experientia, eò certiùs confirmamur in eo, qvod ratio legis connatæ docet, ex justitiâ Dei dignos morte seu qvovis infortunio esse, qvi prava admittunt, *Rom. I. 32.* & qvam non sentiunt admissorum pœnam in hac vitâ, etiam post fata reservari.

§. 19. Idololatria est, qvæ idolum seu imaginarium sibi Deum statuit, qvi non est, ut Apostolus, idolum nihil esse in mundo, ait, *1. Cor. VIII. 4.* objectivo np. conceptu nullo respondente ei, qvi in mente formalis est. Per idololatriam autem non nisi indirectè diximus Deo honorem suum auferi, qvia qvod defertur alteri, non statim excluſivè defertur, ut vero objecto

&to denegetur sed & cumulativè potest, ut utriq; cupiatur, qvemadmodum olim coloniæ Cuthæorum, interram Israëliticam ab Assyriis deductæ, Jehovam venerabantur & pariter idola sua, *II. Reg. XVII. 33. 41.* & Christo unà cum Apollonio & Orpheo rem divinam factam esse in larario Alexandri Severi, narrat Lampridius. Qvò referimus Athenienses sub generali notione ignoti Dei, veri qvoq; Dei cultum complexos, *Act. XVII. 23.* Interim aufertur tamen per idololatriam Deo suus honor, sicut scriptum extat de iisdem Cuthæis, *l. c. vers. 34.* qvòd in hoc instituto suo neqve reveriti sint Jehovam, & de Ephesiis idololatris qvondam, qvod fuerint athei in mundo. *Eph. II. 12.* Nam qvi eminentiam Numinis omne qvod est, infinitâ dignitate superantem dignè reveretur, honore etiam ab omni re aliâ discernit, id est, non tantùm intensivè sed & appreciativè summo: at cum illi alius apponitur, cujus invisibile in nos imperium atq; potestatem veneramur & colimus, cumq; ita amorem, spem, fiduciam, timorem nostrum, & qvicqvid vero Deo debemus, in plures dividimus, beneficia ejus aliis accepta ferimus, tum verò neq; eminentiore illum, qvàm alia omnia honore prosequimur, neque cum attentione animi tantâ, qvantâ oportet, neq; in omni causâ, & sic neq; intensivè neq; appreciativè neqve extensivè summum honorem ei habemus. Hinc præceptum de sumo amore Dei immediatè subjungitur monito de unitate ejus *Deut. VI. 5.* qvod qui unum non colit, neq; sumum colat; & inde tam severa Dei adversus falsos deos Zelotypia, *Deut. V. 7. 9. Es. XLII. 8.* Concurrit tamen cum idololatria plerumq, & directa veri Dei spretio & rejectio, ut non de gentilibus tantùm certum est, Deum Jsraëlis nec agnoscentibus neq; honorantibus, sed & in ipso populo Jsraëlitico appa-

ret, cum Baalis idoli Syriaci sacra erexissẽt Achab, quæstionem de auctoritate Jehovæ formatam esse, 1. *Reg. XIIX. 21. seqq.* Neq; atheismus, contemtus aliquis vel deminutio honoris, qui Deo competit, unqvam fit, qvin saltim subtilem aliqvam secum trahat idololatriam. Qvicqvid enim ipsi detrahimus, vel nobis voluptatiq; nostræ vel aliarum rerum curæ, cui Deus posthabetur, tribuimus, atq; ita divino honore illum mactamus, qvem maximè & plus qvàm Deum honoramus; sicut Paulus *Eph. V. 5.* πλεονέκτην vocat idololatram, & voluptuosis atq; crucem Christi detrectantibus ventrem Deum esse ait, *Phil. III. 19.* Sic illi qvorum sumã in homine fiducia est, monentur, qvòd ille Deus non sit, *Es. XXXI. 3.* & anathemati subjiciuntur, *Jerem. XVII. 5.*

§. 20. Defertur honor divinus objecto alieno vel plenè vel minus plenè; illud fit idololatriâ specialiter sic dictâ, hoc cum fit, peculiari nomine vocatur *superstitio.* Plenè autem deferri dicimus divinum honorem objecto alieno, etiam cum appreciativè tantùm summus defertur, vel in unâ causâ, aut uno temporis momento, qvia neq; Deo major exhiberi vulgò solet, neq; talem qvi omnibus numeris perfectus sit, ut offeramus unqvam, humanæ imbecillitatis conditio patitur. Minus plenè verò defertur, cum divinæ excellentiæ aliqvid tantùm in aliqvo, vel dependenter à Deo, agnoscitur, cum qvo id tamen re verâ cõmunicatum non est: qvalis cõmunicatio fingi potest duplex, altera moralis, cum secretum & invisibile in nos imperium divinum subordinatis pluribus potestatibus distingui creditur, qvibus mentem animumq; subjicias, altera physica, cum virtutem divinam in rebus aliis etiam inanimatis, v. g. statuis & imaginibus, residere putas

putas, atqve in illis veneraris. Sicut enim in honore civili, qvi ut proregem colit eum, qvem Rex non constituit, aut qvasvis privatorum literas pro regiis diplomatibus accipit, honorem Regi debitum qvodammodo in aliena objecta transfert, & utcunq; sibi videatur Regis sui observator esse, reverâ tantum illius honori & obseqvio derogat, qvantum suppositis ejusmodi proregibus aut diplomatibus tribuit, ita de honore religioso dicendum idem est, tantum decedere vero Deo, ejusq; reverentiæ, obseqvio, fiduciæ, qvantum studii in confictas ejusmodi subordinatas cœli virtutes, & divinitatis falsa monimenta impenditur. Unde exosa omnis Deo est intermediæ virtutis sive angelicæ sive astralis veneratio, *Jer.* X. 2. 11. *c. VII. 18.* & posita in statuis ac signis gentilium fiducia ridetur, non eo tantùm nomine, qvòd falsorum Deorum referant imagines, sed & qvòd ex materiâ inanimi cum sint, vis tamen divina illis adscribatur, *Jer.* X. 8. 14. *seqq. Es.* XLIV. 9. *seqq. Dan. V.* 23. non sanè propria, qvæ vi materiæ aut figuræ insit, qvi nimis prodigiosus stupor foret, qvàm ut in homines caderet alioqvin satis cæcos, sed aliena, dum carmine ac dedicationibus Deos se in illas advocasse credebant. Stultitiæ autem est, in ejusmodi erroris periculo, sine ullo nobis facto talis rei indicio, animi commentis indulgere velle, & in ignota ac minùs explorata ipsâ religionis praxi pedem inferre, qvo nomine superstitionem judaizantium philosophorum notat Apostolus, *Col.* II. 18. Nec sine consilio Deus ab intermedio alio imperio humanum genus exemit, ut rectâ viâ semper ad Deum recursus fieret, ne rerum nostrarum invisibilis providentia ab alieno potiùs qvàm ipsius arbitrio pendere videretur, & ut ipse soli sibi omnem religionis ho-

norem sive duliam sive latriam vindicet, *Deut. VI.* 13. X. 12. *coll. cum Matth. IV.* 10. & qvod secus fit, pro peccato æstimet, *Gal. IV.* 8. Qvippe licet in theoriâ talis aliqva distinctio fieri possit, qvæ invisibilis imperii venerationem diversâ mentis submissione & religionis gradu distinguat, in praxi tamen observabilis non est, qvin citò ad plenam prolabantur homines idololatriam, & abjectâ justâ Dei curâ ad inferiorum numinum sibi ambiendam gratiam toto animo deflectant.

§. 21. Externo actu cõmittitur atheismus tum negativè, significationem honoris divini vel omnem negligendo vel frigidam dando, tum positivè, propositis variis contemtûs rerum divinarum, & malè errantis phantasiæ signis, sive transeuntibus in voce & factis, sive manentibus in literis, figuris & monumentis erectis. Voce peccatur, cum turpia, & blasphema, aut quæ qvomodocunq; majestate atq; sanctitate ejus indigna sunt, proferuntur, *Lev.* XXIV. 16. *Ps.* LXXIV. 18. vel temerè & ad leves fraudes vel ineptias nomen ejus invocatur, *Ex.* XX. 7. factis peccatur, cum suspenso naso, risu, sibilo, excipitur mentio Dei aut religio, quæ ipsi impenditur, *Jer. VI.* 10. vel cum monumentis religionis, Scripturis, vasis, aris, templis in honorem Dei erectis illuditur, aut per petulantiam vis infertur, *Dan. V.* 23. *1. Sam. V.* 6. *seq.* vel etiam hominibus, propterea quòd Deum colunt *Ps. II.* 1. *seq. Act.* IX. 4. Signis manentibus peccatur, cum vel scribuntur impia, vel figuris & imaginibus talibus divinum Numen adumbratur, qvæ errorem aut contemtum arguunt. Planè ut per metaphoram denominari Deus potest ab aliquâ re corporeâ, ita & pingi qvod in metaphorâ dicitur, atque ut symbolum & emblema majestatis ac præsentiæ divinæ oculis sub-

subjici potest, qvemadmodum Deus ipse præivit visionibus propheticis, *Es. VI. 1. seqq. Ezech. I. 4. seqq. Dan. VII. 9. seq. Apoc. IV. 2. seqq.* neq; in eâ re peccatum esse agnoscimus, sive in publicis sive in privatis locis ejusmodi signa vel tabulæ pictæ suspendantur; attamen cautione opus est, ne Deus, qui Spiritus est, & nulli rei in oculos nostros cadenti revera similis, propriâ qvâdam figurâ ita pingi credatur, nedum figurâ turpi, ridiculâ atq; Deo indignâ pingatur, *Deut. IV. 15. seqq.*

§. 22. Idololatria & superstitio comittitur externis signis, cum objecto alieno illi exhibentur honoris actûs, qvi religiosam ejus venerationem produnt, cum np. laudibus, precibus, geniculationibus, sacrificio, thure oblato, vel id genus aliis modis colitur & ambitur gratia alicujus præter Deum invisibilis virtutis, sive in cœlo, terrâ, aëre, sive in metallis, lapidibus, herbis, fruticibus, aut animantibus, illorumve colore & picturâ latentis, *Dan. V. 23. Es. XLIV. 17. seqq. Ezech. VIII. 5. seqq. Ps. XCVII. 7.* Neq; relativè per imaginem Deus coli potest, qvin externa schesis adorantis se ad ipsam simpliciter referat imaginem, atq; sic externus honor cum alieno objecto penitus communicetur; id qvod est actus idololatriæ. Signa & monumenta si qva Numinis justâ cum cautione eriguntur (de qvâ modo locuti sumus) ejus qvidem honoris capacia sunt, qvi testimonium aliqvod aspicientibus suggerit venerationis, qvam Deo habemus, ut exornentur ac eminentiore sacrove loco suspendantur; at cum ita excipiuntur, qvasi virtus qvædam divina in illis resideat, & peculiariter alligata sit, colenda & concilianda nobis, directis ad ipsa monumenta illa animi officiosi signis, jam eo ipso juxta §. 20. in deos alienos degenerant, qvorum & erectio & cultus

primo decalogi præcepto prohibetur, *Ex.* XX. 4. 23. *Lev.* XIX. 4. Etsi enim Deus præsentiam & virtutem suam rei externæ alligare potest, ut factum non tantummodo in Sacramentis ordinariis ecclesiæ, sed & aliis qvandoq; casibus, ut cum aqvæ jordanis sanabant lepram, *II. Reg.* V. 14. intuitus serpentis æneï in deserto erecti sanabat populum à morsu serpentum igneorum, *Num.* XXI. 8. *seq.* ultra tamen promissionem & mandatum divinum si ejusmodi symbolo utimur, aut qvod à Deo mediante usu rei externæ sperandum erat, ipsâ rei externæ tali veneratione obtinere satagimus, qvalis convenit objecto intelligenti, cujus ambitur gratia, utiq; honor vero Deo debitus in aliena transfertur. Unde ut ineptæ res superstitionis fuisset, thure & supplicationibus venerari aqvas qvondam Jordanicas, ita non minùs adolitio thuris, qvæ serpenti æneo fiebat ab Israëlitis, damnata est, *II. Reg.* XVIII. 4. & sic damnanda omnis similis veneratio symbolorum Sacramentalium, aliorumve quæ ad sacros usûs assumuntur, nedum rerum hujus mundi omniũ, ob generalem Dei in illis præsentiam, qualem somniavit Vasquez.

§. 23. Ut autem actiones hominum omnes ab intellectu certo vel errante, voluntate subitâ vel deliberatâ, & voluntatis iterum tum intensione tum intentione variè distinguuntur, ita & atheismus ac idololatria inde variis classibus discerni possunt. Ex quibus præcipuè duæ observari debent; altera respectu intellectûs altera respectu voluntatis. Priore respectu atheismus, blasphemia, superstitio, idololatria alia est formalis tantùm, cum solâ mente peccatur, ut qui spiritui malo convitium dicit, quem putat Deum esse, aut cultui veri Dei assistit, ubi putat Jovi vel Baali alicui sacra fieri, aut cum pro convitio aut honore divino aliqvid

cum

liquid profert quod non est; vel est materialis tantùm, cum solo objecto peccatur, non animi intentione, ut cum opprobrium fit vero Deo, ejusve cultui aut symbolo erecto, ubi putas idolum coli, aut cum sacris assistis alicubi idololatricis, quæ putas in honorem veri Dei adornari, aut honorem divinum exhibes vel blasphemiam committis in aliqvo actu, qvem divinum honorem aut blaspheniam esse non putas; vel est & materialis & formalis, cum & objecto & intentione peccatur. Posteriore respectu peccatum illud omne est vel directum vel indirectum & participativum, vel formale vel interpretativum; prout np. qvis alienam idololatriam aut blasphemiam &c. promovet vel non impedit, aut ejus speciem aliis præbet &c.

§. 24. Cum autem in his omnibus animadvertunt homines, qvantopere in re tanti momenti & lubricitate intellectûs, & voluntatis impotentiâ hallucinentur, nec vel in naturali lumine inveniant, qvod justum cognitionis Dei desiderium exsatiet, neq; apud se ipsos illam integritatem morum observent, qvam sibi ex hac contemplatione necessariò præscribunt, restat ut & dignitas rei, & suũ ipsorum periculum, Deum variè offensum placare cupientium, si qvâ ratione id fieri potest, animũ excitet, ut circumqvaq; respiciant, an alicubi plura & certiora de cultu divino rescíscere liceat. Illum enim finẽ esse naturalis luminis, ex *Act. XVII. 27.* concludunt Theologi, ad quem si qvis pervenerit, providentiæ atqve gratiæ singularis auxilio opus fuerit, ut ulteriùs provehatur. Non potest sanè ista omnia ita ad animum revocare, qvi solo naturæ lumine ducitur, ut fieri debere nos prævia S. Scripturæ face ostendimus, cum cupiditatibus & exemplis aliorum variis judicium.

um corrumpatur, ut facilè vel sistat speculationem istã vel in errores deflectat; vel ipsam tamen hanc judicii imbecillitatem animadvertunt, qvi amore sui nimio non turgescunt, nec facilè qvisqvam tam vecors est, qvin legis connatæ se ipsum sæpiùs admoneat, & pravarum sibi actionum conscius sit, qvas condemnet ipse, neq; emendet tamen seriò, etsi solâ se emendatione morum tutum fore ab irâ judicis speret. Cõmunis omnibus animi infirmitas solatur qvidem plerosq; homines, ut plus integritatis à se requisitum non iri censeant quàm sibi datum est: sed illud solatium carnalis securitas, non vera ratio suppeditat. Qvippe & ipsa curatioris officii nostri conscientia qvemq; docet plus à nobis reqviri, & diligentiùs qvam fit id observari posse. Adde qvòd & hæc nostræ infirmitatis consideratio in curam illam qvemq; deducere debeat, ut unde illa sit, & qvomodo illi occurrere possit, solicitus sit, atq; sic finem illum, qvò Theologia naturalis tendit, fortiùs promovere. Dum autem omnis totius mundi religio, oculis auribusq; hausta, animo obversatur, nullam reperimus qvæ ultra commune omnibus lumen aliqvid promittat, neq; tamen vanis & puerilibus commentis ab unius Dei cultu naturaliter agniti ad crassissimam idololatriam abducat, præter illas, qvæ ex libris Mosaicis primitus hausta in varias qvidẽ sententias & opiniones Christianorũ, Judæorum, Muhamedanorum se diffudit, omnis tamen ex illo principio, qvod iis commune est, examinari potest. Cumq; libri Mosaici & alii prophetici, qvi illis iñituntur, omnibus illis polleant criteriis, unde divinæ revelationis auctoritas dignosci potest, postqvam illa ad animum penetravit, efficiet vis Spiritûs S. mentem illuminans, ut qvæ sit Christianæ religionis veritas, adversus aliorum errores penitus constet.

CAPUT VII.

DE OBLIGATIONE FIDEI ET SPEI.

§. 1.

Respond. HENRICO DREESEN Preza-Holsato.

POstqvam Evangelii prædicatio aures nostras circumsonat, & mysteriorum divinorum in illâ panditur uberior cognitio, major etiam & longè augustior inde exurgit nobis erga Deum obligatio, qvàm in statu naturali erat. Qvi enim naturali luminé Deum tantùm vagâ quâdam notione ut excellentissimum Numen, nostriq; ac omnium rerum conditorem & summum arbitrum veneramur, nunc eundem distinctiùs ex verbo revelato cognitum, ut optimum & indulgentissimum patrem suspicimus, qvi non ad hujus modò vitæ usuram, sed potissimùm ad æternam aliam, eamq; summâ & ineffabili gloriâ beatam nos condidit, & peccatores à gravissimo reatu ac extremæ miseriæ præcipiti pernicie gravissimis potentissimisq; mediis retractos, pristinæ felicitati denuo asseruit. Unde illi non tantùm ut Domino nos servire, sed & ut beneficio summo affectos grati animi obligatione adhærere par est, *Col. II. 7. II. Cor. V. 15.* atque ut adscriptos cœlo cives, ut peculium Dei ac regale sacerdotium, in nobiliore, qvàm qvod omnibus rebus creatis patet, gratiæ regno Deo Patri ac Domino nostro Jesu Christo unà cum Spiritu S. perpetua laudis sacrificia offerre, *1. Petr. II. 9. Rom. XV, 9. seqq. Col. I. 12. Ps. CXXXVIII. 4.* Tria autem sunt grati animi officia, primum ut agnoscamus beneficium, deinde ut optimam porro de benefactore opinionem concipiamus, tandem

ut viciſſim ad officia, ut poſſumus, illi præſtanda animo promto feramur. Primum *fidei* eſt, alterum *ſpei*, tertium *amoris* ſive charitatis. Qvæ 1. *Cor. XIII.* 13. diſtinctâ enumeratione commendatæ, tres virtutes Theologicæ in ſcholis appellantur (qvia in Ariſtotelico virtutum catalogo locum non habent) ſecundùm qvas officium noſtrum in ſtatu gratiæ conſiderabimus.

§. 2. Si beneficia Dei oculis ipſi coram intueremur penitus, nullâ opus eſſet fide, at dum illa accipimus ex revelatione divinâ, qvid de nobis factum ſit enarrante, utiq; non niſi fide ea agnoſcimus & acceptamus. Fides enim eſt eorum quæ non videntur, *Heb. XI.* 1. qvæq; de auctoritate haurimus alienâ, adeoq; ſicut concluſio duobus principiis, perceptione rei indicatæ & æſtimatione indicantis innititur, qvorum alterutri qvantum decedit, tantum ipſi fidei decedit, ut confuſa & vaga ſit, qvæ qvid indicatum ſit, non ſatis novit, & lubrica ac vacillans, qvæ de veritate indicantis certa non eſt. Etſi autem in generico & præciſivo conceptu fides, ut quævis objecta grata vel ingrata reſpicit, tantùm per conſenſum intellectûs definiri ſolet, cum tamen promiſſionibus gratiæ reſpondet, plerumq; cum affectu aliqvo intelligitur, ut qvemadmodum agnoſcere beneficium non eſt nudam ejus notitiam habere, & certitudinem qvod reapſe factum ſit, ſed & in illud conſentire & id acceptare, ita qvoq; fides, quâ gratia Dei agnoſcitur, utrumq; complectatur, juxta definitionem *Heb. XI.* 1. datam. Radicatur igitur in intellectu qvidem & rem creditam & auctoritatem Dei de illâ teſtantis apprehendente, ſed redundat tamen & in voluntatem, dum motum animi approbantis ſibiq; illam applicantis includit.

§. 3. Fides hæc duplici reſpectu conſideratur, ut con-

concurrit ad justificationem hominis sive gratiam divinam effectumqve obedientiæ & justitiæ Christi obtinendum, & ut hominem actu vel habitu aliqvo obedientiæ ac virtutis perficit, illo respectu pertinet ad Evangelium, *Gal. III. 12. seqq.* & in priore Theologiæ parte consideratur, hoc verò ad legem, *Matth. XXIII. 23.* & in hac morali Theologiâ locum obtinet. Qvemadmodum enim ad omnem donationem qvantumvis gratuitam non tantùm actio donantis reqviritur, sed & acceptatio ejus, cui datur, neq; gratia judicis obtingit reo, aut pronunciata in ejus favorem sententia effectum suum sortiri aut jus illi tribuere intelligitur anteqvam agnita fuerit, ita etiam ad hominem gratiâ Dei & parto per Christum privilegio donandum necesse est, ut ab homine concurrat fides agnoscens & acceptans qvæ offeruntur, qvæ anteqvam accesserit, nullo ejus jure frui possumus, uti scriptum extat *Joh. I, 12. qvi receperunt eum, eis dedit jus vel potestatem ut essent filii Dei.* Sed hæc acceptatio fidei, qvanqvam antecedenter ad omnem considerationem dignitatis ejus, & laudis vel renovationis inde in credentem, i. e. agnoscentem & acceptantem redundantis, collationem gratiæ divinæ ratam & completam facit, neq; tunc demum cum adest, Deum ullâ ratione movet ad illam conferendam, sicut neq; acceptatio, qvæ fit à donatario vel reo qvovis, amicum aut judicem politicum commovet ad donandum vel dimittendum, sed donantis ac dimittentis potiùs motum & actionem seqvitur, reverâ tamen in eo, qvi credere & acceptare jubetur, actus aliqvis reverentiæ & grati animi est, beneficium qvod sibi fit intelligentis & æstimantis, qvi, postqvam jam datum est, qvod destinatum erat, placet, ac qvodammodo commovet donantem, ne facti ipsum pœniteat. Unde planum est, nihil nos absurdi di-

cere, cum fide nos, neqve tamen bono operè, qvod commovet ad præmium tanqvam actus virtutis, justificari apud Deum profitemur, & fidei nihilominus inter bona opera locum damus.

§. 4. Est autem fides, qvando ad virtutes animi refertur, non tota qvidem obedientia Deo debita, qvod volunt Sociniani, pars tamen ejus, juxta *Rom. I. 5. c. X. 16. c. XV. 18. c. XVI. 26. II. Thess. I. 8. 1. Pet. I, 2.* & in intellectûs ac voluntatis nostræ ad auctoritatem divinam submissione consistit. Qvippe mandati verbum est; *credite Evangelio, Mar. I. 15.* cui paret quicunq; fidem illi habet. Qvanqvam enim fides opus & donum Dei est, *Joh. VI. 29. II. Petr. I. 1.* qvam sicut & omnem conversionem ac renovationem nostram non nisi potentissimæ operationi divinæ debemus, *Act. XVI. 14. seq. Eph. I. 19. Col. II. 12.* in nobis tamen dum accenditur, nostra fit possessione & exercitio, sicut omnes aliæ novi hominis virtutes, motibusq; animi moralibus seu à perceptione obligationis nostræ fluentibus succrescit. Obedientia verò alia pædagogica & fidei prævia est, qvam homo solis naturæ viribus præstare potest, alia spiritualis & essentialis fidei, qvæ à viribus & motione gratiæ oritur. Pædagogica consistit in affabilitate externâ, & evitatâ morum rusticitate, audiendo placidè præcones Evangelicos qvi ad nos loqvuntur, & cupiendo aliqvid addiscere, qvod ignoraveras, adeoq; adeundo templa & oratoria illa, in qvibus dicitur, & sacra peraguntur, in qvantum nempe qvod istic agitur aut discendum est, generaliter consideratur ut aliqvid novi, vel specialiter licet ut res divina, confuso tamen conceptu apprehensa. Etenim constat ex disputationibus Theologorum de libero arbitrio, qvòd naturalis sit homini post lapsum propensio adversus Deum & res divinas, qvâ volun-

luntas eamquoq; veritatem aversatur, qvæ naturali lumine scitur, & penitiùs sciri poterat, præcipuè verò nobiliorem illam, qvam Spiritûs S. revelatio suggerit, motibusque suis intellectum ita corrumpit, ut variis se & absurdis erroribus implicet, *Rom. I. 21. seqq.* & imprimis ad lucem majorem veritatis cœlestis cœcutiat, nec capere possit, qvæ sunt Spiritûs, *1. Cor. II. 14.* sicut suprà *cap. 3. §. 9.* illud voluntatis imperium in intellectum depinximus. Ideoq; actûs obedientiæ pædagogicæ, qvi virtutem gratiæ divinæ antecedunt, non ulteriùs qvàm qvò communia seu humanitatis seu curiositatis officia propendent, considerare possumus, & qvicqvid de illis monendum restat, eò referendum est, ubi de homileticis virtutibus agetur. Spiritualis obedientia est, qvam operatur Spiritus S. efficace virtute per verbum divinum in animum illabente, qvæ impetum seu repugnantiam voluntatis naturalem sistit, & sic menti ad qvietem aliqvam redactæ lumen fidei ingerit, qvod vi & svavitate suâ novos eosq; meliores animi motûs porro allicit. Qvâ in re iterũ duplex obedientiæ ratio est, altera passiva, qvâ se homo divinæ operationi non opponit, altera activa, qvâ vim & sensum ejus accipere, & acceptum sibi retinere & augere studet. Illa qvidem per se sola inter virtutes morales locum non habet, neque fidei ipsam essentiam formaliter constituit, qvia in solâ negatione ulterioris proterviæ ponitur, per consequentiam tamen & identitate qvâdam rei in illâ continetur, sicut exclusio formæ contrariæ in positione unius.

§. 5. Ut autem tres fidei actûs vulgò distinguimus, notitiam, assensum & fiduciam, ita ratione cujusq; illorum tum passivam (tanqvam conceptu priorem) tum activam obedientiam nostram, & à quibus incredili-

dulitatis fontibus avelli, qvibusq; è contrario ſtudii officiiq; gradibus in illâ progredi debeamus, conſiderare par eſt. Notitiæ hauriendæ obſtat primum defixa in rebus hujus mundi occupatio, cum ita penitus homo immerſus eſt negotiis aliis ſive frivolis ſive ſeriis, ut abſtrahi inde ad cogitandum de Deo aut audiendum pulſantem Spiritûs S. vocem non poſſit; ut ſunt ſanè plures ita abrepti, ut fruſtrâ illis loquaris, fruſtra oculis auribusque objicias quod obſervent. Qvæ res facit, ut neq; prima gratia irreſiſtibiliter operetur, neq; ordinariâ vi ſuâ peccatorem à ſomno excitare poſſit. Deinde obſtat moroſa quædam inertia, & contemtus Dei poſitivus, quo ſpernitur pulſus & vocatio divina quamvis ſentiatur, ne ad illam animum attendas. Hoc vitio cum animus ultra vulgarem hominum ſortem obfirmatus eſt, ne communis gratiæ menſura illam perrumpat duritiem, omnem fidei germinationem prohibet, non aliter quàm ſi quod ſemen in calcatam viam aut rigidam petram nulli vomeri cedentem à colono projicitur, *Matth. XIII, 19.* Ut igitur paſſivum Deo obſequium præſtetur & admittatur ſine obice divina mentis illuminatio, quæ à verbo divino promittitur, abeſſe oportet ejusmodi malitiam ab animo, & ita moderatâ nos capi terrenarum rerum curâ & amore, ut memoriæ tamen & curæ divinarũ locus relinquatur.

§. 6. Activum ratione notitiæ obſequium Deo *primum* præſtatur, cum ad ea attendimus, quæ ille nobis ſive in Scripturâ S. ſive per vivæ vocis miniſterium loquitur. Requirit id in homine etiam irregenito pondus rerum cœleſtium, & reverentia naturaliter debita ſummo Numini, ut audiatur qui de illo vel ab illo aliquid dicturum ſe nobis eſſe præ ſe fert, vid. exemplum Ehudi Moabitæ *Jud. III, 20.* multò magis ſi qua jam majeſtas divina in ipſâ

voce

ce aures ferit, opus est, ut promtè illi assurgamus, loqventemq; auribus vacivis honoremus. Planè ut servos ad pulsantis fores heri sonum excitari, & torporẽ omnem excutere decet, *Apoc. III.* 20. Propterea & inanimata, cœlum ac terra advocantur ad audiendum sermonẽ Dei, ut uberiùs inde intelligatur officium hominis, *Deut. XXXII.* 1. *Es. I.* 2. *Secundum* obseqvium est, ut cujus voci attendimus, eum quoq; loquentem distinctè agnoscamus, id est, ut signa divinitatis in revelatione divinâ probè observemus, quibus illa à vanis quibusq; dæmonum hominumve illusionibus distinguitur. Facit enim voluntatem Patris, qui an doctrina ex Deo sit, animadvertit, *Joh. VII.* 17. Differt hic gradus à priore ut actus reflexus à directo. Dum enim in illo vocem Dei homo magis præsumit quàm dignoscit, quin & quandoq; incertus errat, ut Samueli puero aliquando accidit, *1. Sam. III.* 7. in hoc reflexis cogitationibus veritatem rei penitus examinat, ut præsumtionem vel confirmet vel corrigat. Quippe spiritum & prophetiametsi spernere non debent fideles, 1. *Thess. V.* 19. *seq.* jubentur tamen probare, *ib. v.* 21. & 1. *Joh. IV*, 1. falsos prophetas à dogmatibus, *Deut. XIII*, 2. ab eventu, *c. XIIX.* 22. à fructibus seu operibus, *Matth. VII.* 16. arguere. Cujusmodi discretionis signa nunc qvoq; supersunt S. Scripturæ, ex qvibus illarum divinitatem observare, Christiani hominis officium est. Prodigia facta sunt incredulis qvondam ut crederent, np. à Mose coram omni populo Ægyptio & Jsraële, *Ex. IV.* 8. & *capp. seqq.* eaq; tanta, ut omnis magorum æmulatio illis succumberet, *c. VIII.* 19. ut & à Christo ac apostolis coram suæ ætatis judæis, *Joh. III.* 2. *c. X.* 38. *Heb. II.* 4. *II Cor. XII.* 12. *coll. cum* 1. *Cor. II.* 4. *&c.* qvorum memoria indubiis literarum monumentis, rem contrà qvàm publicè nota erat, referre non ausis, ad nos translata est, Qvod argumentum satis

satis petulanter explodit Spinoza, qvasi ab ignorantiâ petitum, & Deo indignum, qvi legibus suis constans est, neq; naturam rerum tam imbecillem fecit, ut illi succurri debeat. Certè enim scitur inde, qvòd virtus qvædam concurrat cũ prophetâ, quæ causis secundis superior est, Deusq; naturæ à se conditæ dominus sit. Etsi enim modum agendi positivum nescimus, negativè tamen, qvis non sit, scire licet, & qvòd etiam qvi consilii certus est, possit ad easdem leges se perpetuò adstringi nolle. Nunc tamen ne eadem repetita consvetudine vilescant, sola illorum memoria, & ipsa vis divinæ sapientiæ, qvæ in prophetiâ Scripturæ deprehenditur, satis valent, ut & absqve tali signorum repetitione intelligamus, unde profecta sit, *Heb. XII. 18. 25. Tertium* obseqvium est, ut sensum ipsum revelationis divinæ, seu dogmata, qvæ per illam patefiunt, rectè intelligere studeamus. Nam qvicunq; loqvitur, propterea loqvitur qvòd velit intelligi, ideoq; attentionem ad verba sua non generalem tantùm, sed & distinctam & specialem desiderat. Ergo reverentia loqventi debita exposcit, ut sensum ejus qvàm accuratissimè assequi & postqvam assecuti sumus, retinere memoriâ conemur. Id qvod fit freqventer audiendo, legendo, ruminando meditando scripturas & qvæ inde proferuntur, *Deut. VI. 7. 8. XVII. 19. Jos. I. 8. Ps. I. 2. Joh. V. 39.* ad exemplum Mariæ virginis. *Luc. II. 19. 51.* & generosiorum Berrhoënsium *Act. XVII. 11.* Unde patet minimè debere nos confusâ & implicitâ fide contentos esse, sed turpis irreverentiæ reatum incurrere potiùs, si ea qvæ Deus dignatus est revelare, non dignemur addiscere. Cum bonâ terrâ comparantur, qvi qvod audiunt intelligunt, *Matth. XIII. 23.* reprehenduntur qvi sine intellectu adstant *v. 14. seqq.* Sed illud omne discendi studium, siqvidem obedientiæ rationem

nem habebit, ex purâ Numinis reverentiâ & conformandi sese ei studio, non ex ambitione aliquâ eruditionis fluere debet, aut ex merâ rerum novarum curiositate. Nam quæ ab hoc stimulo nata est rerum divinarum scientia, profana est, de quâ rectè dixit Paulus 1. Cor. VIII. 1. *cognitio inflat.*

§. 7. Circa assensum obedientia passiva est, quâ argumentis rerum sua vis permittitur, ut intellectui se commendent, eumque ad conforme veritati judicium trahant. Sunt illa quidem tanta in revelatione divinâ, ut quisquis notitiam eam, quam tribus gradibus modò considera vimus, semel perceperit, nullo modo assensum suum videatur illi subtrahere posse; docuit tamen tristis experientia in ipso paradiso, quantis satanæ insidiis pateat humana mens, cum negligentiùs sibi prospicit, ubi cum blanda veteratoris serpentis eloquentia primum placere cœpit protoplastis, mox accidit, ut hi vel Deum invidiæ vel se ipsos erroris suspicione onerarent, *Gen. III. 1. 4. 5.* Istuc verò si illi prolapsi sunt, qui meliore sapientiâ & certitudine animi instructi erant, nunc certè majus ejus periculum est, postquam jam in proclivi positum est homini, intellectum suæ cupiditati subjicere, & in utram partem velis, vertere. Videmus certè in medio Christianismo esse, non tantùm qui altâ voce asserunt, Scripturæ fidem à philosophiâ ipsorum suspendi debere, & interpretationem hauriendam esse ex eo, quod scholæ placet, sive Cartesianæ, quod voluit anonymus auctor libelli de philosophiâ Scripturæ interprete, sive Stoicæ, ut Dodwellus disputat, sive peripateticæ, ut scholasticorum plurimi; sed & qvi scripturam S. ex falsâ opinione hominum loqui ajunt, etiam in moralibus & fidei rebus, ut Wittichius, falsum evidenter credibile fieri posse, ut

credatur fide divinâ, ut Tannerus, Deum falsa testari posse, ut Holcot & Aliacus, & actu ipso hominibus persuadere, ut Henr. Morus, & ad falsa credenda hominem obligare, ut Twissus, Maccovius & alii. Quibus verbis omnia fundamenta assensûs atque fidei, quæ revelationi divinæ haberi debebat, penitus subruuntur.

§. 8. Ut autem causam morbi nosse optima via est parandi remedii, ita hîc quoq; ad præstandam Deo obedientiam passivam, ne horrendis ejusmodi dubiis mentem distrahi patiamur, aut illorum objectione Spiritui S. repugnemus, quàm maximè interest, causam illorum penitiùs considerare. Hæ verò etsi variæ esse possunt, præcipuè tamen in amore anteceptæ opinionis concurrunt, quo jam ante quid verum esse optant homines, quàm an etiam sit, exploratum habent, quôque quasi fascino corripiuntur, ne obediant veritati quantumvis apertæ, *Gal III, 1.* sed acceptâ undecunque dubitandi causâ, dum aliud sibi quantovis pretio imaginari conantur, & quæ minùs placent, excogitato commento in suas partes torquere, paulatim etiam dolos & fraudes suas pro veritatis argumentis admirantur. Amor ille non proficiscitur nisi ab amore ejus, unde opinio illa sive primùm profecta sive proximè ad nos derivata est, vel cui commodum inde aliquod speratur. Qui ipsi opinionis suæ auctores sunt, ut sapientiam insigniorem sibi esse cupiunt, ita & facilè imaginantur, ac apud alios tales videri volunt, nihil ægriùs laturi, quàm in eâ re sucumbere, aut minùs perspicaces deprehendi, unde palmam sibi promiserant: quòque fortiùs sibi blandiuntur, quòd ratiocinationis ordinem bene contexuerint, eò minùs thesin admittere talem possunt, quæ illum quomodocunque videtur turbare. Qui verò alios auctores opinionis suæ venerantur,

tur, plerumq; illum præceptoris amorẽ reſolvunt in amorem ſui ipſius, dum nolunt niſi in optimos incidiſſe, & optima didiciſſe principia. Ita multorum fidei obſtitit cupido honoris *Joh. V. 44.* & ſapientiæ perſuaſio, *1. Cor. I. 19. 20. Matth. XI. 25.* & quæque levis cauſa in æmulationem, hæreſes & ſchiſmata abit, diſcipulis pro gloriâ doctorum ſuorum pugnantibus, *1. Cor. III. 3. ſeq.* Qui commodum inde ſibi aut aliis ſperant, quibus favent, magis vel minùs peccant, prout honeſtius vel turpius illud commodum eſt quod ſectantur. Sunt enim quos ſtudium finis per ſe boni, vel zelus vindicandi alicujus dogmatis veri, ſive naturaliter ſive ex revelatione noti, ita præcipites abripit, ut & non tantùm ultra veritatis terminos id protendant, ſed & ſuſpectum habeant, quicquid ejus evertendi qualemcunque umbram vel eminus referre poteſt, ut judæi quondam zelotæ legis erant, *Rom. X. 2. Gal. I. 14. Act. XXI. 20.* & Pelagiani univerſalem Dei bonitatem, Calviniani horrorem Pelagianiſmi & finitatem corporis Chriſti, Pontificii eccleſiæ perpetuitatem, Sociniani unitatem Dei, Remonſtrantes ſtudium pacis, & ſic quæque pars ſuos quosdam apices Theologiæ eligunt, ad quos, ne pugnare videantur divina dogmata, reliqua reformare, & pro ingenio ſuo corrigere inſtituunt. Hujus ſtudii eadem ratio eſt, quæ opinionis ex ſapientiæ noſtræ vel præceptoris admiratione aſſumtæ. Veritas enim Dei ſibi contraria non eſt, *II. Cor. I. 19. 1. Joh. II. 21.* neque tali indiget patrocinio, quæ aliis ejus dogmatibns vim inferat; ſed hominum illa cœca ſtudia ſunt, conceptûs falſos cum veris miſcentium, ne deinceps veritatem totam capere poſſint. Sunt alii, quos non niſi apertum carnis ſtudium abripit, dum vel ad ſecuritatem peccandi omnia metiuntur, ut Felix *Act. XXIV. 25.* vel ad lucrum, ut Demetrius

metrius Ephesinus, *Act. XIX. 24. seq.* & qui ex pythonissâ quæstum habebant, *cap. XVI. 19.* vel ad favorem hominum, ut *Joh. XII. 42.* Cupido talis ut vaga & mobilis cuique vel fixa & certa est, idem vel vagus inter infinita dubia fluctuat, vel pertinax in sententiâ hæret. Nam fluctuationem animi scepticam etiam à cupiditatibus provenire mentem variè agitantibus, Paulus docet *II. Tim. III. 6. seq.* cum mulierculas, qvæ semper discunt, & nunqvam ad cognitionem veritatis perveniunt, describit ut *actas variis concupiscentiis.* Neq; aliam causam afferre possumus, qvare in magnis qvandoq; ingeniis & sat acutum videntibus annua ferè religio observata sit, qvàm qvòd ut novum subinde partium vel oppugnandarum vel conciliandarum sibi studium ipsos incessit, obliti priorum argumentorum aliam planè rei faciem intuiti sint.

§. 9. Præter amorem anteceptæ opinionis interdum & amor otii ac tædium ulterioris considerationis prona errandi atq; dubitandi causa est, dum aversatio rei vertitur in judicium mentis vel de levitate ejus, qvæ indigna sit attentione nostrâ, unde & causæ ipsæ certitudinis leves esse æstimantur, vel de nostrâ ingenii imbecillitate, qvòd impares simus difficultati, qvæ formando judicio obstat, superandæ. Succedit qvandoq; & anxietas mentis à perfvasâ nobis semel difficultate rei orta, cum discendi desiderium resumitur, vel à levitate credendi unicuiq; fabulæ, & inde in contrarium vitium vertente impetu, ne ulli credas, sed undeqvaq; suspicione deceptionis territus, & ab attentione retractus, inter diversas hypotheses sine certâ exploratione oberres, sicut solet metus sæpe aurium oculorumq; objecta sensibus eripere. Ab his igitur vitiis præposteri vel amoris vel timoris, qvi sibi temperat, & posthabito omni alio mentis affectu scholæ

Spiri-

Spiritûs S. se penitus permittit, ut institutionem ejus non aliqvâ tantùm parte, sed totam & integram persvaderi sibi patiatur, eam præstat Deo obedientiam, qvæ à docili Christi discipulo reqviritur.

§. 10. Activum autem in assensu præstatur obseqvium Deo, cum causas certitudinis ad animum revocamus, & intellectum ope divinæ gratiæ elevatum, ut ducem seqvi, & sic rem, qvalis esse deprehenditur, sine fuco amplecti amamus. Causæ certitudinis, ad qvas attendere oportet, aliæ sunt à parte revelantis, nempe veritas Dei, quâ fallere ipsum aut mentiri impossibile est, omniscientia, qvâ certum est ipsum neq; falli, & omnipotentia, qvæ præstare potest qvicqvid promittit; aliæ à parte rei revelatæ, np. evidentia signorum, seu verborum sensum nobis exprimentium, cohærentia rerum, qvæ secum mutuò conspirant, non repugnant, tandem exempla & documenta eventuum, quibus illarum experientiam jam nacti sumus. Venerari hæc argumenta jubet auctore & impulsore Spiritu S. ipsa reverentia Dei, non nisi qvod illo dignum est, & esse etiam per naturæ lumen intelligitur, de Deo cogitari aut objici sibi permittens. Nam qvi credit Deo datisq; ab illo testimoniis, veracitatem ejus apud se confirmat, *Joh. III. 33.* qvi minùs, mendacem illum facit, *1. Joh. V. 10.* & apostata ab illo fit, *Hebr. III. 12.* Hæc reverentia Dei elidit omnes conceptûs, qvos nostri vel aliorum amor parit atq; fidei opponit, qvia de naturâ ejus est, ut æstimationem nostri & cujuscunqve alterius objecti deprimat infra auctoritatem divinam, ceu evicimus *cap. 6. §. 10.* adeòqve turgidam ratiocinationis humanæ compagem subvertat & cogat sub obseqvium Christi, juxta monitum Paulinum, *II. Cor. X. 4. seq. conf. Rom. IV. 19.* Eandem reverentiam si intelligunt scholastici per piam

credendi affectionem, qvam in homine præviam requirunt, ut intellectui assensum imperet, facilè illis consentimus: non autem cum illam qvasi cœcam describunt, qvâ suppleatur qvod deest claritati & certitudini revelationis, & characteribus divinitatis in illâ observatis. Nam si rei incertæ utut probabili crederemus ob affectionem voluntatis, jam non intellectu regeremur, sed voluntati intellectus cederet, contra primam moralitatis regulam supra *Cap. 3. §. 12.* observatam. Imò neq; potest reverentiâ revelantis, sed solo amore rei revelatæ duci, qui illi, anteqvam divinitus revelatam esse certus est, præcipitem ejusmodi fidẽ addicit, & sic alieno planè fundamento nititur, qvemadmodum & illi, qui in solam auctoritatem doctoris aut ecclesiæ fidem veritati divinæ adhibitam resolvunt. Qvi magnus in fide divinâ defectus est.

§. 11. Fiducia fidei in primo conceptu infert adhæsionẽ seu assensum voluntatis (sicut ille prior fuit assensus intellectûs) id est approbationem & acceptationem rei ut bonæ gratæq; nobis, quâ ratum habemus qvod offerri à Deo intelligimus. Etsi autem & hæc debebat ex actibus præcedentibus, notitiâ & assensu intellectûs, necessariò sequi, cum pro amore, qvo qvisq; sibi ipsi cupit naturaliter, nemo videatur repudiare velle aut posse beneficia gratiæ divinæ sibi oblata, postqvã qvalia illa sint, distinctè cognitũ certumq; habet: obstat tamen in aliis superbia, in aliis timiditas & diffidentia, ne sibi ut oportuit prospiciant. Videmus ut id sæpe accidat in reb⁹ humanis, qvòd spernant opem alienam alii, cum sibi ipsi se putant sufficere, neq; gratiam cupiant, cum jure se experiri posse, censent, aut honorem ejus beneficii deferre gratificaturo, sibi probrosum esse putant: alii terrore præsentis discriminis abrepti tantum sibi displicent, & doloris ceperunt aut furoris sui voluptatem

tem, juxta *Cap. 4. §. 28.* ut nullum solatium sibi allatum ferre possint, sed corrupto ex affectu voluntatis intellectu, ubiq; siniſtræ suspicionis causam captent, dum gratiam illam alienam non sufficere, seq; infra spem optati effectûs inde capiendi positos esse censent, adeòq; de affectûs in amico vel constantiâ vel magnitudine tantâ, qvantam requirit status rerum penitus excussus, dubitantes, malunt ejus fortunam omnino ne experiri quidem. Unde intelligimus magis proclive esse homini in causâ Dei, à quâ naturali ingenii pravitate abhorrer, ut ejusmodi affectibus malis à fiduciali apprehensione Evangelii abstrahatur, eiq; vel cum Pharisæo, *Luc. XIIX. 11. seq.* bene merita sua & documenta probitatis, qvæ putat, satis perfectæ, vel cum Caino, *Gen. IV. 13.* gravitatem admissorum omni remissione majorem, vel effectum gratiæ inter adversa tenuem cum Israëlitis, *Ex. V. 21. VI. 9.* opponat. Qvare operatione Spiritûs S. opus est, qvæ nos in viam regiam ducat, & obedientiâ nostrâ passivâ, qvâ à voluntario excessu nobis temperantes, utrumq; illud vitium in nobis patiamur supprimi, & motûs animi justâ lance libratos ad salutarem scopum propelli, ut & hinc ora gloriantium obthurentur, *Eph. II. 9. Rom. III. 19.* & illinc subtrahentium se damnabilis diffidentia sistatur, *Heb. X. 38. seq.* & sic sine obice admittatur gratia oblata. Qvæ admissio fides passiva qvibusdam Theologis dicitur.

§. 12. Ut activæ obedientiæ fiduciam concipiamus, opus est pronâ voluntate per virtutem Spiritûs S. excitatâ, gratiam Evangelii prædicatam nobis cupiente atq; applicante. Qvod enim consensus intellectûs generali notioni includit, id voluntas nobis applicat specialiùs, unde & fiducia dicitur specialis. Voluntas illa ambitu suo plura concludit, primùm qvidem displicentiam aliqvam nostri & statûs ejus in qvo sumus, deinde desiderium melioris

lioris fortunæ, ut aliqvò nos recipiamus & exstatu illo eluctemur, porro approbationem ejus gratiæ, quæ offertur, tanquam utilis & necessariæ nobis, nec minùs agnitionem horum omnium in intellectu præsupponit. Quò major autem illa agnitio est, quòque gravior conditionis nostræ displicentia, & impensius desiderium rerum meliorum, atq; de gratiâ oblata præsumtio, eò firmior in illam consensio erit, & consentientis ei adhærebit fiducia. Hic verò affectus animi non tantùm per se est ad gratiam divinam homini necessarius, qvi nisi accesserit, nunquam gratiæ potest fieri collatio, sed semper oblata nunquam recepta erit; sed & obedientia quædam est comparentis coram Deo, & fœdus ut ipse jusserat stipulantis. Quod enim homines hominibus per signa exprimunt acceptationem beneficii innuentia, id Deo, qui signis non indiget, propriè præstatur ipsâ mente & voluntate internâ, quâ gratiam illam oblatam nobis paciscimur, quanquam per consequentiam aliquam, quâ animi impetus rumpit vocem, & aliis pariter de exemplo nostro constare oportet, juxta *cap. 6. §. 12. & 13.* etiam confessione oris opus est, *Rom. X. 10. 2. Cor. IV. 13.* Quia igitur fœdus gratiæ, quod nobis cum Deo intercedit, solo partium consensu ratum est, sequitur necessariò, quòd non ultrà quàm in fiduciali hoc consensu stamus, illud ratum sit, adeoq; salutis ut collatio ita & conservatio solùm fide habeatur, *1. Pet. I, 5.* quâ excussâ & fœdere & salute nos excidere necesse est, *Rom. XI. 20. Heb. IV. 11.* quia Deus non tenetur eam præstare repudiantibus. Eadem hæc consentientium fiducia fundamentum est omnium eorum, quæ vi hujus fœderis aguntur, & sine illo agi neqveunt, ut ad Deum accedere, & preces & officia illi ceu patri offerre, &c. de qvibus infrà. *Rom. V. 1. seq. Hebr. XI. 6. X. 19. seqq.* Naturali autem jure constat, quòd sublato fundamento

ruat

ruat id omne, qvod illi innititur, neq; beneficum patrem sibi spondere qvis possit eum, qvem pro tali non agnoscit.

§. 13. Fiducia omnis est qvoddam gaudium animi, qvò suprà *cap.* 4. §. 25. illam retulimus, de re ut certâ conceptum, qvo nempe nobis ipsis in certitudine acqvisiti aut possessi boni alicujus placemus. Qvod gaudium in primo fidei initio satis qvidem tenue apparet, ut alio omni nomine dignum videatur, sed ubi robur acqvisivit, effectu satis luculento se prodit. Atq; ita fidei actio describitur, qvòd cũ gaudio recipiat verbum Dei, 1. *Thess. I. 6. Matth. XIII, 20.* qvòdq; impleamur gaudio Dei in credendo, *Rom. XV. 13,* & regnum Dei in justitiâ, pace & gaudio dicitur consistere, *c. XIV. 17.* Etenim ut qvisq; benefactor suum vult beneficiũ æstimari ab eo cui bene fit, neq; adeò frigidè id accipi, sed cum sensu aliqvo lætitiæ, qvàm id sibi gratum æstimatumq; sit prodente, ita etiam Deus omni jure à nobis desiderat, ne hujus tanti beneficii, qvantum in Evangelio offertur, tam levi sensu afficiamur, qvàm diaboli, ad qvos id nihil pertinet, *Jac. II. 19.* sed ut cum intimiori qvâdam animi lætitiâ id accipiamo, eòq; illi adhæreamus fortiùs. Qvò acceptiùs enim beneficium illud nobis est, eò majorem Deo benefactori honorem habemus. *Conf. suprà cap. 5 §. 16.* In hoc affectu animi ipsa anima fidei habetur, unde firma fides à mortuâ intrinsecè & formaliter distinguitur. Nam ut voluntas efficax à voluntate simplicis complacentiæ per ipsum vigorem suum discernitur, dum altera illa qvasi somno qvodam obruta iners spirat, ita & fides qvæ solo assensu intellectûs, & qvalicunq; acceptatione simplicis complacentiæ absolvitur, non nisi cum mortuo cadavere aut certè corpore omnibus viribus fracto comparari potest; illa verò qvæ solatium & gaudium animi concipit ex re creditâ, & in ejus acceptatione exultat, eo ipso

vivere dicitur, quòd vivo qvodã Dei ſpiritu accenditur, ſubinde fortiore flammâ exuberans, exemplo Mariæ virginis *Luc. I. 47.* Abrahami, *Joh. VIII. 56.* Davidis, *Act. II. 26.* & totius eccleſiæ, *Eſ. LXI. 10.* Non enim formaliter vivit per actûs imperatos, amorem & amoris opera, ſed per actûs elicitos, per ſvavitatem ipſam fiduciæ, qvæ ſibi gratiam Dei applicat, eâq; frui gaudet, *Heb. VI. 4. Pſalm. XXXIV. 9.* Hic motus eſt, qvi animum vitæ ſpirituali reſtituit, & porrò in ſpem vivam ac amorem Dei benefactoris inſeparabili qvâdam neceſſitate erigit; juxta id, quod docent Theologi, fidem ſine bonis operibus eſſe non poſſe. Nam qvi gaudet, eum qvi gaudii cauſa eſt, qvà talem neceſſariò amat. *vid. cap. 4. §. 28.*

§. 14. Eadem hæc fidei vita, interno animi de gratiâ acceptâ exultantis motu definita, nos docet, qvid formaliter interſit inter fidem ſalvificam & carnalem ſecuritatem, qvam confundunt plerumq; non tantùm irregeniti eccleſiæ noſtræ admixti, cum falſâ ſe fidei umbrâ paſcunt, ſed & adverſarii Pontificii, cum fiduciam ſpecialem, ut ab omni pietate remotam, damnant. Carnalis enim ſecuritas gaudio fidei maximè adverſa eſt, dum gratiam divinam, qvamvis utilem ſibi, levem tamen æſtimat ipſâ re, adeòq; illâ nihil commovetur. Non poteſt enim lætari de accepto ſolatio, niſi qvi fuit anxius, nec de remiſſione peccati, niſi cui illud onus grave fuit, & pro pondere doloris tantùm, qvo demeriti agnoſcitur magnitudo, divinæ bonitatis laudatur ubertas, *Rom. V. 16. ſeqq.* Ex magno diſcrimine dulcis eſt recuperatio, ex parvo vilis. Facile qvidem eſt fiduciam animo concipere, ubi nihil eſt qvod metuas, atq; adeò ſecurè peccantibus hominibus aliqvam oboriri à malâ peccandi libidine intellectum obruente, ſat vulgatum eſt; at illa ſupina & oſcitabunda

eſt

est fiducia, qvæ non in admirationem bonitatis divinæ erigitur, aut magnitudinis ejus aliqvo sensu commovetur, sed in contemtu peccati obdormiscit,& qvod agit pœnâ indignum arbitratur; qvalis v. g. est fiducia dormientium militum adventante hoste, certè non in armis posita, sed in ignorantiâ aut contemtu periculi, non virtus animi, sed justæ cautionis defectus. Utut enim alia omnia præ se ferat ejusmodi homo, cum de gratiâ Dei disputat, praxis tamen ut sæpius alibi, ita hîc qvoqve theoriæ est contraria, nec tam bonitate Dei, qvàm suæ sibi dignitatis opinione nititur, & qvicqvid peccat qvasi leve & veniâ facilè dignum respicit,qvi carnis securus est. At qvi vim sentit imminentis iræ divinæ, & suæ se turpitudinis conscientiâ maximè lancinat,qvamvis fortiore ope indigeat Spiritûs S. qvâ erigatur, erectus tamen veriore ac lætiore fiduciâ vivoq; mentis solatio fruitur, eò svaviore, qvò pronior fuit desperatio. Unde à præviâ contritione, *Marc.I.15. Act.II.37.* id est, angore animi ac detestatione peccati, omnem veram fidem ordiri in nobis necesse est. Sic etiam ut securitas peccandi libidinem auget, ita vera fides per eandem necessariò amittitur, *1.Tim.I.19. V.20.VI.10.* Nam fieri non potest, ut beneficium Dei æstimare pergat, qvi reatum peccati incipit contemnere, aut ut de excusso ejus jugo lætetur,qvi id denuo experiri cupit,*II.Pet.II.20.Heb.X.26.29.* Qvia igitur freqvens hic error est, ut homo se ipsum decipiat, & pro fide vivâ in carnis securitatem prolabatur, diligente ejus examine opus est, tum à formâ internâ, an fiducia etiam veris animi motibus vivat? tum ab externâ, an & à contritione præviâ exurrexerit, aut peccandi libidinem exstinguat? qvò tanqvam ad characterem evidentiorem & magis palpabilem, communiter remittunt Theologi.

§. 15. Ut autem nihil perfectum est in hac vitâ, ita & fidei semper qvædam securitas adhæret, ne tanto cum animi affectu recipias & venereris Evangelium, qvanto oportebat. Idem accidit ab alterâ parte diffidentiæ, qvæ nec unqvam tam plenè abjicitur, qvin subinde πληροφορίαν fidei retrahat, ne ad dignum objecto gradum progrediatur. Qvod si patentem infernum, si aliorũ ex pari peccato, qvale nostrum est, supplicia, si nos istuc proreptos, & qvos pro eximendis nobis filius Dei acerbissimos dolores subiit, oculis præsentes ipsi intueremur, fieri non potest, qvin & majore reatûs nostri horrore & impensiore gaudio, atqve æstimatione tam singularis in tanto descrimine beneficii, nos abreptum iri intelligamus, qvàm omnis calor est fiduciæ, qvo nunc incendimur. Item si præsens nobis Christus adstans gratiam voce suâ faceret admissorum, qvibus angimur, ut paralytico qvondam, *Matth. IX. 2.* nullum dubium est, fore ut vividiore solatio nos recreemur, qvàm qvo nunc confirmamur. Neq; tamen in ejusmodi casu magis qvid possemus, qvàm certi esse de eo, qvod credimus; unde illi animi motûs nobis provenirent. Ergo qvicqvid illis nunc deest, qvo minùs ad eum gradum gaudii ac solatii provehamur, qvi ex præsente rei intuitu & auditâ immediatâ voce Dei oriretur, id omne certitudini & fiduciæ fidei deest, ne in nobis perfecta sit, & in qvo imperfecta est, culpam habet. Unde preces etiam credentis, ut succurratur incredulitati, *Marc. IX. 24.* & assiduum fidei incrementum opus est, *II. Thess. I. 3. II. Cor. X. 15.* qvo progrediamur à fide in fidem *Rom. I. 17.* à tenuibus ejus initiis in majus robur, à primo fiduciæ motu in plenius gaudium, à fide actuali in habitualem, à primâ acceptatione gratiæ ad perpetuam ejus agnitionem, à fide in fidei sensum semper uberiorem.

Unde

Unde torpore aliqvo languidos & dubitatione tentatos sæpe deprehendas credentes, qvos non tantùm ne extinguatur, sed & ut augeatur flamma fidei, precibus & meditatione verbi divini assiduâ se excitare oportet.

§. 16. Distinguenda hîc præcipuè fides prima & directa est à secundâ & reflexâ. Nam aliud est credere gratiæ oblatæ eamq; acceptare, aliud, credere se illam jam accepisse, & justificationem, adoptionem, sanctificationem sui factam esse. Hæc ex illâ seqvitur, & uberior nostri confirmatio est, gaudio pleniore animum perfundens. Sensus ille fidei & gratiæ acceptæ in omnibus qvidem adesse deberet fidelibus Christi filiis, fit tamen qvandoq; per fraudes satanæ, ut & de oblatione ipsâ gratiæ divinæ, deq; bonâ voluntate Dei incipiant seriò dubitare. Qvæ tentatio, qvousq; non eò progreditur, ut ipsam veritatem promissionum divinarum arrodat, fidem ipsam directò non tollit, sed licet peccato nos ad tela satanæ magis qvàm solatia divina attendentes, veniali tamen polluit, Spiritum divinum non excutiente. Sic *Matth. XIV. 31.* Petrus ὀλιγόπις & vocatur, non ἄπις &. Dũ enim tentati à terrore justitiæ divinæ pavidi, desiderio anguntur ejus gratiæ, qvæ nobis data est in Christo, ejusq; cupiunt in se derivari effectum, utut ambigant, neq; fiduciam animo plenam concipere possint, ipso tamen desiderio occurrunt voluntati divinæ, anteqvam eâ se præveniri animadvertunt, pariterq; satisfactionem Christi piè venerantur, probant, & sic reapse acceptant, qvod sibi etiamnum deesse censent. Sicut v.g. in stipulationibus Romanis; *dabisne centum? dabo*: ipsa petitio vel stipulatio beneficii, ejusdem acceptatio est, cum datur vel promittitur. Unde desiderii hujus sanctioris conscientia, qvod utiq; non à nobis ipsis, sed gratiæ divinæ effectus est, pro magno anxiis solatio commenda-

cur à Theologis, qvòd ipsa reverâ sit cum objectis scrupulis luctata fiducia, de pacto nobis salutis medio eò magis persvasa, qvò impensiùs hac gratiâ frui anhelat. Sic ipse Christus famen & sitim justitiæ beatam prædicat, & satietatem ei promittit, *Matth. V. 6.*

§. 17. Objectum fidei, de quâ agimus, aliud est personale, aliud reale, *Personale* objectum est, cujus auctoritati credimus, reale, qvod credimus. Sic personale principaliter est ipse Deus, minùs principaliter illi, qvorũ Deus ministerio usus est. Nam in Dei auctoritatem omnis religionis fides unicè resolvitur, etiam qvæ viris Spiritu divino afflatis adhibetur, *1. Thess. II. 13. Ex. XIV. 31.* Doctoribus ecclesiæ non debet in illâ causâ credi, nisi qvatenus ex hoc fonte hauserunt, qvæ proponunt, *Es. VIII. 20.* Qvi aliis revelationibus & auctoritatibus fidem suam addicunt, ad spiritûs deceptores & mendacia se convertunt, *1. Tim. IV. 1. II. Thess. II. 11.* qvibus anathema dicitur, *Gal. I. 8.* vel etiam ne istuc deducantur, periculum incurrunt. Theologi communiter de fide locuti, qvâ justificante, personale ejus objectum intelligunt eo sensu, qvòd sit is, in cujus gratiâ fiduciam salutis ponimus; qvi simpliciter est solus Deus. Hoc fine distinxit qvondam Augustinus diversam fidei significationem pariter & objecti latitudinem à diversâ ejus constructione cum tertio vel qvarto casu, ut per *fidem in aliqvem* intelligatur fiducia religionis, per *fidem alicui* habitam assensus vulgaris, & *credere in solum Deum* liceat, sed præter illum *etiam aliis*. Sedqvamvis usus Latinæ ecclesiæ tale discrimen introducere potuerit, non tamen vel Scripturæ S. phrasis illud observat, ut patet ex *Ex. XIV. 31. 1. Sam. XXVII. 12. Prov. XXVI. 25.* vel vetus ecclesia Græca, (vid. *p. 185. assert. nostræ de Sp. S.*) Nec ipsi rei per hanc observationem satis consulitur; qvia non fidu-

fiducia tantùm sed & assensus datur religiosus, ut & civilis fides qvandoqve est fiducialis; cujus in hac distinctione nulla habetur ratio.

§. 18. Reale fidei objectum pro diversâ fidei consideratione in triplici latitudine positum est. Nam qvà historica est, seu notitiâ & assensu solo absolvitur, omnia revelata complectitur, *Act. XXIV. 14. Joh. V. 46. seq.* qvà fiducialis est, omnes tantùm promissiones, *Hebr. XI. 1. 6. Rom. IV. 19. seq.* qvà specialiter salvifica, non nisi gratiam nobis per Christum partam, *Act. X. 43. Rom. III. 22. seqq. Gal. II. 20.* Nec hos limites suos excedere debet, neq; citra illos deficere. Nam qvod ad excessum attinet, certè temeraria fides est, qvæ credit qvod incertum est, & conjecturas suas vel aliorum pro veritate divinâ adoptat: qvæ credulitas fœcunda mali mater est. Hinc non immeritò cavit Deus qvondam, ne qvid adderetur præceptis ipsius, *Deut. IV. 2. c. XII. 32. Prov. XXX. 6.* qvod idem repetit de vaticiniis suis Johannes, *Apoc. XXII. 18.* Qvi ultrà sapere vult, qvàm Deo placuit se & voluntatem suam revelare, obedientiam certè ipsi non præstat, sed irreverenter potiùs arrogat sibi, qvod Deus ab ipso voluit alienum esse, & in periculum se conjicit indigna & adversa de Deo opinandi, sicut accidit qvondam in traditionibus judaicis, *Marc. VII. 8. seq.* & hodie accidisse in traditionibus non scriptis, qvas vocant, dolemus. Ideoq; Paulus diligenter monet, ut qvæstiones curiosas & inutiles, & sic multò magis illarum definitiones evitemus, qvippe qvæ à scopo Evangelii aberrant, *1. Tim. I. 4. 6. 7. cap. VI. 3. seqq. II. Tim. II. 16. Tit. III. 9.* Sic etiam qvod promissum non est, neqve acceptari debet fiduciâ, aut promissio ultra qvàm facta est extendi, aut qvod aliis tantùm uni aut paucis promissum, etiam de me præsumere, quæ mera foret superstitio. Hinc ut vulgò notant Theologi,

logi, ab hypothesi prædestinatianâ particularis gratiæ non potest nisi temeraria fides fluere, applicans sibi ea, de qvibus incertus es, an ad te pertineant. Ex eodem fundamento clarum est, fidem miraculorum, qvæ neq; omnibus ut ederent, neqve ut acciperent, promissa sunt, non nisi paucorum debuisse qvondam charisma esse, 1. *Cor. XII. 9.* & non tantùm sine peccato hodie non haberi, sed & temerè haberi, si qvis absq; speciali promissione aut peculiari instinctu divino (quem, ut heroicum omnẽ, eventus probaret) eam se habere præsumserit, *Act. XIX. 13. seqq.* Qvod verò attinet ad defectum à latitudine objecti, certum est, qvòd reverentiâ Deo, utpote eâdem semper auctoritate pollenti, in omni revelatione eadem debeatur, & qvæcunq; S. literis divino Spiritu scriptis continentur, etiamsi merè historica & physica sint, sine dubitatione agnoscenda & credenda sint, multò magis omnes promissiones, qvæ ad nos pertinent, quòdq; peccent, qui illorum aliquid in dubium vocant. Interim non omne objectum fidei pertinet ad doctrinam salutis, neq; omnium illorum qvæ istuc pertinent, & peculiariter articuli fidei dicuntur, est eadem necessitas in se, neq; omnibus intelligendi vires eædem aut meditandi otium æquale concessum. Ideoque ordo quidam in hauriendâ fide observandus est, ut primo loco quæ magis necessaria, & in his quæ faciliora hauriantur, postea quæ his primis innituntur vel accedunt. Neq; omnium conatus ad eosdem gradûs diligentiæ assurgere potest. Qvippe nimis intendendo cogitationes nocetur intellectui, & confunditur pluribus ac subtilioribus, qui pauca necessaria assequi poterat. Par est ratio temporis, qvod qui omne rimandis difficilioribus impendit, facit ut frustra didicerit, quæ intelligit, neq; expleat officia, quæ inde pendent. Quare etsi omnes qui docentur,

ex

ex rigore legis divinæ debeant ad scientiam doctorum pervenire, *Hebr. V. 12.* ubi tamen imbecillitas ingenii vel absolutè vel in hypothesi necessarii laboris obstat, sufficit ex gratiâ divinâ, ut vera adsit discendi cupido, quantum vires & vocatio permittunt, in actum deducta. Hinc Apostolus inter rudes & exercitatos, sicut inter infantes & viros discernere, & ut cuique convenit, catechetica vel acroamatica proponere suadet, *ib. v. 13. seq. & 1. Cor. III, 2.*

§. 19. Quia autem fides objectum suum sequitur, decet sanè, ut qvemadmodum illud semper sibi conforme est, ita & fides nostra semper eadem, id est, firma sibiq; constans sit, *Hebr. XIII. 8. seq.* Quæ fidei constantia apprime necessaria est, *Col. I. 23. Apoc. II. 10.* quâ custoditur depositum, *1. Tim. VI, 20. II. Tim. I. 14.* & manetur in sermone Christi, *Joh. VIII. 31. 1. Joh. II. 24.* ne qvid admittatur, quod doctrinæ sanæ adversum est, *1. Tim. VI. 3. II. Joh. 9.* neque patiamur nos abduci à simplicitate ejus in Christo, *II. Cor. XI. 3.* Apostasia autem alia manifesta & crassa est, alia tenuis & occulta, quâ pedetentim in deterius ruitur. Hæc cum homini nec advertenti facilè immineat, opus est frequente sui probatione, *ib. cap. XIII. 5.* quâ quam serves conformitatem tum ratione objecti crediti, tum ratione actuum, signorum & causarum fidei, examines. Ratione objecti, tum ne oblitus institutionis, cum proficere deberes cognitione, deficias, aut utilia vel necessaria salutis dogmata pro indifferentibus vel suspectis contemnas; id quod præposterum pacis studium sæpe suggerit, *Gal. I. 10. V. 11.* tum etiam ne ultrà progressus, qvæ sive revelatio sive memoria suppeditare desinit, conjecturâ suppleas, & supplendo aut supplenti auscultando paulatim à normâ deflectas, & Evangelica veritas per ἀσύγκρισις nova dogmata evertatur. Ratione actuum, ne fortè praxis à theoriâ aber-

ret, vel contrà. Nam ceu jam tum innuimus suprà §. 13. fieri potest, ut in illo etiam, qui orthodoxæ fidei zelum habet, vera cesset in Deum fiducia aut in carnalem securitatem convertatur, sicut & contrà ab errore vel dubitatione intellectûs theoretici ipsa fidei praxis servari potest immunis, dum vel ipse vim & consequentiam erroris tui non capis, vel non advertis quâ fiduciâ nitaris (quæ frequens est in hominib9 imbecillitas judicii, ut nesciant qvid agant, v.g. cum disputant, utrũ voluntas semper seqvatur ultimũ judicium intellectûs practici? cujus ipsi tamen optimum experimentum apud se habere poterant) vel deniq; cum proprii periculi causa vertitur, diffisus tuis ipsius opinionibus, eligis quod tutius est, juxta consilium Bellarmini *l. 5. de justif. c. 7. prop. 3.* Ratione signorum, ut tum factis tum verbis rectè exprimas, quod mente credis. Factis enim negatur fides, cum id agitur, quod cum verâ fide non convenit, quodq; à credente vel fieri vel expectari non debebat, juxta *1. Tim. V. 8.* Verbis negatur, cum incommodis & adverum ac orthodoxum sensum aliis imprimendum ineptis locutionibus utimur, & sic errandi causam paulatim etiam nobis damus, assuetis conceptûs animi secundùm verborum rationem flectere. Unde monita de retinendo typo sanorum verborum, *II. Tim. I. 13. I. Tim. VI. 3.* & vitandâ profanâ vocum vanitate, *ib. v. 20.* Deniq; ratione causarum, ne pro reverentiâ Dei contendendi studium & occulta ambitio nos sensim corripiat. Certè bona causa malo sæpe affectu agitur, & recta qvidem non tamen rectè sentiunt multi. Ut autem alienus quisq; animi affectus circa fidem malus est, ita pertinacia affectûs mali necessariò est pejor, & quæ in contendendi studio observatur, propriè vocatur *hæresis*, *Tit. III. 10. Gal. V. 20.* Qvanquam enim usus ecclesiasticus vocem illam ad erro-

res

res fundamentales restringit, antiquo tamen sensu latiùs patet, nec in errore tantùm omni, sed & in orthodoxiæ professione animus hæreticus esse potest, si magis partiũ studio, quàm veritatis convictione & ex reverentiâ Dei revelantis illam vel amplectaris vel propugnes. Cujusmodi animus etsi aliis prodest, tamen sibi ipsi nocet, *vid. Phil. I. 15.* Multis fortunæ potiùs res est, quàm pietatis, quòd orthodoxam fidem sequantur, eodem zelo secuturis quemvis alium errorem, si in eo educati essent, aut inde lucrum sperarent. Sed quæ sic inordinato affectu defenditur religio, à scopo suo citò aberrat, & pro vivâ in Deum fiduciâ non nisi historica fit persvasio, sæpe etiam contentionis fervore in alterum extremum impingit, ut frequentissima extant in historiâ ecclesiasticâ exempla.

§. 20. Finis imperatæ à Deo nobis fidei est non tantùm ut gratiam illâ divinam acceptemus, sive ut Hebraizante phrasi loquimur, justificemur, sed & ut justitiæ & majestatis divinæ digna veneratio in nobis pariter restituatur, *Rom. III. 25. seq.* Dum enim homo expiare ipse peccata sua, id est, ferre jugum imperii divini tam grave non poterat, quantâ ejus exasperatione opus erat, ut compensaretur contemtus illius, quod in nos indispensabile & absolutissimum est, præsertim cum jus imperii divini tantum sit, ut extendi ultra terminos suos & commune ferendi debitum qualicunq; exasperatione non possit, per *cap. nostr. 6. §. 16. seq.* Deus autem nostri misertus voluit ipsum filium suum, societati hominum adscriptum, legi cum illis communi subjicere, ut vices fratrum omnium in se susciperet, & solus pro omnibus reatum lueret, *Gal. IV. 4 seq. Heb. II. 11. 14.* necesse erat, ut reliqui experimentũ justitiæ divinæ, quod in se ipsis non poterant, in hac pro se datâ victimâ caperent, ejusq; sacrificium æstimatione

fidei suum facerent, nisi ab imperio divino se jam fere penitus exemtos esse, atq; id impune violare posse, statuere debebant. Deinde & ille finis est fidei, ut verâ erga Deum modestiâ nos humiliemus, qvâ omnia nos novæ ejus gratiæ, nihil nostræ virtuti debere agnoscamus, *Rom. III. 27. 1. Cor. IV. 7. II. Cor. III. 5.* Id verò utrumq; ut obtineatur, distinctâ opus est notitiâ & tali fide, quæ verâ quâdam & vivâ commotione animum afficiat: neq; beneficium Dei ignorantibus potest ex consensu aliquo præsumto accrescere. Infantibus tamen etsi fidei capaces sunt, *Luc. I. 44.* & actu credunt, *Matth. XVIII. 6. Ps. LXXI. 6.* quamdiu neqve objectorum neqve actionum suarum conscientiam ullam habent, distinctâ tali majestatis divinæ veneratione opus non esse videtur, qualis in adultis requiritur, qvemadmodum & illorum & adultorum fidei non eandem rationem esse concedunt Theologi. Sufficit talem in illis spiritûs divini operationem agnosci, qvâ in gratiâ Redemtoris sibi applicatâ non inviti acquiescunt.

§. 21. Ex fide præsentis gratiæ sequitur *spes* futuræ. Quæ duo charismata Evangelii tam arcto inter se nexu cohærent, ut ferè nonnisi mente & ratione distinguantur. Nam & fides quædam spes est de veritate ejus quod credis, & spes quædam fides de rebus speratis concepta. Utraqve est consensio tam intellectûs quàm voluntatis, & in robore suo posita eodem nomine *fiducia* insignitur, & ad gaudium mentis pertinet. Nec differunt vel fundamento vel objecto ipso sive personali sive reali. Cui enim promittenti credo, de eo spero quòd præstiturus sit, quæ dixit, & gratiam quam offerri mihi credo, ex eâdem me causâ habiturum esse spero, *1. Pet. I. 13.* sicut & ab objecto spei definitur fides, *Hebr. XI. 1.* qvòd sit *fiducia rerum sperarum*. Differunt tamen conceptu & objecto formali, id est diversâ ejusdē consideratione, dum fides re-

r eſpicit rem ut præſentem, ſpes ut futuram, nempe illa eſt quæ in præſentem animum, gratiam & promiſſionem benefactoris fertur quà talem, hæc quæ futurum animum & promiſſionis effectûs ſive experimentum affectûs inde concludit, & ſub illâ contemplatione ſibi plaudit. *Conf. Rom. VIII. 24. ſeq.* illa eſt fiducia de re ut medio ad finem ducente, hæc de re, ut fine per media illa obtinendo. Spes igitur ut indivulſa proles fidem tanqvam matrem ſeqvitur, ita ut neutra ſine alterâ eſſe poſſit, qvemadmodum Abraham in ſpem credidiſſe dicitur, *Rom. IV. 18.* & omnes nos ex fide ſpem juſtitiæ expectare, *Gal. V. 5.* & impleri gaudio fidei, ut abundemus ſpe, *Rom. XV. 13.* & credentes gloriari de ſpe futuræ gloriæ *cap. V. 2.* ideoq; ubi fides non eſt, neq; ſpes eſt. Sicut qvi à fide alieni ſunt gentiles, inde deſcribuntur, qvòd ſpem non habeant, *Eph. II. 12. 1. Theſſ. IV. 13.* & qvi ſpem ſervat, fidem ſervat, utrâqve verò excidit, qvicunq; alterutrâ excidit. *Col. I. 23.* Qvare ad eam nobis ſervandam æqvè ac ad ſervandam fidem obligamur, *Heb. X. 23. cap. VI. 11.*

§. 22. Qvia autem fidei & ſpei objectum materialiter coincidunt, ſeqvitur inde, qvòd ut fidem ita & ſpem religioſam, id eſt, de inviſibilis imperii gratiâ conceptam, non liceat niſi in Deum ponere, qvem pro objecto ſpei aſſignat S. Scripura, *Eſ. L. 10. Hoſ. XII. 6. 1. Tim. IV. 10. &c.* vel Chriſtum, qvi eſt perſona divina, *Eph. I. 12.* & ab officio ſpes noſtra, *Col. I. 18. 1. Theſſ. I. 3.* ſolamq; Dei gratiam ſine merito noſtro *Dan. IX. 18.* non in idola, quæ vana hominũ cõmenta ſunt, *Eſ. XLV. 7. Jer. XIV. 22. Pſ. CXV. 8.* nec in homines etiam amicos vel principes, *Pſ. CXVIII. 8. ſeq. Pſ. CXLVI. 3. ſeqq. Eſ. XXXI. 1. Jer. XVII. 5. 7. Mich. VII. 5.* vel in nos ipſos noſtramq; potentiam, *Pſ. XX. 8. Pſ. XLIV. 7. ſeq. II. Cor. I. 9.* aut divitias, *Pſ. XLIX. 7. ſeq. Prov. XI. 28. I. Tim. VI. 17. Mar. X. 24.* intellige ſpem & fiduciam talem, qvæ ſpem religionis majorem in gratiâ & providentiâ divinâ ponendam

negligat aut excludat. Nam subordinatam divinæ civi lem de illis omnibus habere licet, *vid. Luc. XIV. 28. seqq.* qvâ illa ita respicias, ut qvorum vis & favor omnis à divinâ bonitate & directrice providentiâ dependeat, & sic omnis qvæ de illis est, de Deo ipso annuituro spes sit, *Ps. CXXVII. 1. seq.* Qvod si in Deum omnium rerum habenas moderantem spes posita non est, neqvicqvam imò nec sine injuriâ & contemtu Dei ponitur in rebus aliis, ejus curæ & imperio subjectis. Unde & formulam propositi omnis conditionalem esse par est, ne sine Deo de nobis aliqvid sperare videamur, juxta *Jac. IV. 13. seqq.* sicut & formulæ illæ in S. literis freqventes; *spero, persvasus sum, dico, gaudeo &c. in Domino, Phil. II. 19. Gal. V. 10. II. Thess. III. 4. Eph. IV, 17. Phil. III. 1.* agnitionem vel auctoritatis vel directionis divinæ in iis rebus, in qvibus occupati sumus, significant.

§. 23. Spes autem, qvæ in Deo ponenda est, fidei debet esse conformis, qvâ nempe ut in gratiâ ejus nos stare confidimus, ita etiam qvæ à benigno Patre expectari possunt, ab ejus bonitate nobis persvademus, ut cum fiduciâ filiali eum accedere & precibus compellare audeamus, *Rom. V. 2. Eph. II. 18. c. III. 12. Heb. X. 22. seq.* Deus enim sicut pro justitiæ rigore horrorem nobis, reatûs nostri conscîis, poterat incutere, ut ignis consumens, *Deut. IV. 24.* ita postqvam placatum eum nobis esse credimus, humanitate ineffabili allicit ad omnem gratiæ effectum ab illo sperandum, *Rom. V. 9. seqq. Matth. XI. 28. Ps. XXXIV. 9. Es. XLIX. 15. &c.* Qvam si de ipso fiduciam non concipimus, indignè de illo sentimus, qvasi parum vel sincerus vel constans ille amor sit, qvem de se testatur. Poscit suâ naturâ patens potentioris præsidii sinus promtam istuc clientis refugium, & magis poscit id Deus, qvi pactum aliqvod in regeneratione nobiscum

cum iniit, ut nos ipsi filii, ille nobis pater esset, & qvalis filiorum est erga patrem, talem illi fiduciam comprobaremus, juxta *Heb. VIII. 10. ex Jerem. XXXI. 33. Rom. VIII. 15. Gal. IV. 6.* De qvo pacto resilit, & indignus est, qvi jure & promissionibus adoptionis divinæ fruatur, qvisqvis abjectâ qvam promisit fiduciâ sinistras de tam benigno Patre suspiciones fovet. Qvare omnem à precibus dubitationem remotam esse vult Spiritus S. *Jac. I. 6. seqq. 1. Tim. II. 8.*

§. 24. Res autem, qvæ sperandæ sunt à Deo, sunt in genere omnia, qvæ amore ejus paterno digna sunt, & ad nostrum commodum pertinent, *Rom. VIII. 32. 1. Tim. IV. 8.* Sed qvædam illorum determinatè promissa sunt, de qvibus spes certa & fixa est, ut gloria vitæ æternæ, *Rom. V. 2. c. VIII. 24. Tit. I. 2. Phil. III. 20. seq. 1. Pet. I. 1, 3. seq.* & resurrectionis mortuorum, *Act. XXIII. 6. c. XXIV. 15. II. Cor. IV. 14.* & firmum adversus omnem vim & potestatem tenebrarum præsidium, *Rom. VIII. 38. seq.* De qvibus igitur spes nobis perpetua & immobilis esse debet, sicut scriptum est, *Hebr. VI. 11. 12, 18. seq. c. X. 23. 1. Pet. I. 13.* Hanc nisi spem haberemus de Deo, parum nobis ejus gratia prodesset, & gratis Christus prædicaretur, *vid. 1. Cor. XV. 19. Hebr. XI. 13.* qvippe ad qvam omnis de redemtione & adoptione nostri fides dirigitur, *1. Pet. I. 9. 1. Joh. III. 2. seq.* de qvâ gloriamur cum credimus, *Rom. V. 2.* Illam igitur tantam esse oportet, ut qvicqvid adversi in hac vitâ obvenit, ad futura gaudia cœli ne qvidem æstimari posse confidamus, sicut cum summo qvodam qvantitatis excessu qvævis minor moles comparata, ut ut in se magna appareat, non nisi pro re nihili habetur, v. g. tumores montium ad rotunditatem terræ, aut hujus totius ambitus ad inveniendam

paral-

parallaxin & distantiam fixarum, *vid. II. Cor. IV.* 17. *seq. Rom. VIII.* 18. Neqve enim amor ille paternus Dei tam eximiâ laude posset efferri, qvâ eum proseqvuntur S. literæ, si vel tantundem mali qvantum boni immitteret filiis qvos adoptat, vel multo saltim malo felicitatem à se expectandam temperaret & deminueret. Qvare omnis generis molestias, quarum in hac vita subeunda est experientia, omnemqve imminutionem fortunarum aut externæ felicitatis, qvæ in exercitio optimarum virtutum videbatur molesta esse posse, solari jubemur nobiliore earum in alterâ vitâ compensatione, *II. Thess. I.* 7. *Heb. XI.* 9. *seq.* 1. *Tim. VI.* 18. *seq. Col. III.* 24. *Matth. V.* 3. *seqq.* præsertim si qvid propter Christum & professionem fidei ferendum est, *ib. v.* 11. *seq. c. XIX.* 29. *c. X.* 39. *II. Cor. I.* 5. exemplo martyrum veteris Testamenti, *Heb. XI.* 33. *seqq.* ceu qvi pro coronâ honoris certant, 1. *Cor. IX.* 24. *seq. II. Tim. IV.* 7. *seq. Apoc. II.* 10. tantum istic centecuplis perpetuæ gloriæ gradibus augustiore, qvantum hic plus laboris certanti adjectum est. *Marc. X.* 29. *seq.* Qvin & illa omnia, læta, tristia, qvæ in hac vitâ nobis obveniunt, ad eum finem ordinari & prodesse, fide certum est, *Rom. VIII.* 28. *c. XIV.* 8. *I. Cor. III.* 22. *II. Cor. I.* 6. ideoqve in omni casu id sperandum, fore ut ad emendationem nostram aut feliciorem pædagogiam ad futuram gloriam pertineat, qvod experimur, Deusq; id tantùm orandus est, ne permittat, ut ipsi culpâ nostrâ frustremur finem ab illo propositum. Ut enim patrius amor elucet in castigatione filiorum, ita firmissimum nobis solatium esse debet in rebus asperis divini amoris eadem interpretatio, *Hebr. XII.* 5. *seqq. conf. Prov. III.* 11. *seq. Apoc. III.* 19. ut cum gaudio illa omnia tormenta & ipsam mortem perpetiamur, qvæ aliis horrorem gravissimum incutiunt,

II. Cor.

II.Cor.VI.4.seqq.Rom.XII.12. Qvod si verò augmentũ gloriæ ex rebus adversis renatos sperare jubet Deus, multò minùs in detrimentum vel jacturam salutis divinitus illas immitti, timere licet. In nostris qvidem viribus sibi relictis nihil possumus præsidii collocare; at de divinâ ope, qvæ confirmat nos in omni luctâ, & laborantibus in tempore succurrit, non licet unqvam spem abjicere qvasi tentatione minor futura sit, qvantuscunq; Satanæ furor sit, nunqvam in lapsûs aut pereundi necessitatem detrudemur: qvisqvis perit, suâ culpâ perit, non usus gratiâ, quâ poterat. Fidelis est Deus, qvi non sinet nos tentari ultra vires, sed ita rebus nostris prospicit, ut ferre jugum, atq; eluctari feliciter possimus, *1.Cor.X. 13.c.1.8.seq.1.Thess.V.24.* aut qvod ex furore melancholico peccatur, pro bonitate suâ condonabit, *conf. Rom.VIII.26. 1.Joh.*III.20. Hæc est illa spes, qvæ non confundit, *Rom.V.5.*

§. 25. Alia indeterminatè & sub generali notione optimè nobis prospiciendi promissa sunt, neqve adeò nisi sub hypothesi tum utilitatis nostræ eâ in re versantis, tum liberi decreti divini, ex variis procurandi boni nostri modis eum qvi ipsi placet eligentis, sperari debent. Ad hanc classem pertinent omnes speciales rerum eventûs, qvorum peculiaris revelatio facta non est. Cum enim duo hæc plerumq; homini incerta sint in omni rerum specialiũ desiderio, primùm an id re vera nobis profuturum sit, qvod ut tale expetimus, cum præsens rerum experientia sæpe longè aliud doceat, qvàm de absente expetentis est opinio, sæpe ab ipso desiderio corrupta, & rei etiam per se bonæ illa possint adhærere vel accedere, qvæ ejus utilitatem omnem intervertunt; alterum, an etsi id bonum est, non alio tamen meliore modo Deus nobis prospicere decreverit, qvàm eo, qvem votis nostris complectimur: pla-

num est inde, nullam de iis certam spem, imò neq; desiderium fixum & absolutum concipi debere. In hac regulâ certi erimus, Deum nihil nobis sine gravi causâ denegare, & contenti qvâcunq; sorte nostrâ, de illis qvoqve, qvæ minùs ex sententiâ eveniunt, laudandam benignam Dei providentiam esse agnoscemus, juxta *Job. I. 21.* Stulta est illa cupiditas, quæ præcipuum favoris divini documentum sibi qværit in minoris momenti rebus, *vid. suprà cap. 4. §. 22.* & cum longè eminentior nobis spes parata sit, illam in victu & amictu, & id genus fortunis mundi defixam tenet, *Matth. VI. 31. seqq.* nec minus diffidentiæ plena ista cura, qvâ de iis angeris, qvæ sperare à Deo vi promissionis poteras, *Hebr. XIII. 5. seq. ex Jos. I. 5. & Psl. CXIIX. 6. Matth. VI. 25. seqq.* Eqvidem laudabilis illa cura est, qvâ consilium prudens circumspicis, qvo rebus tuis consulas, cum mentem homini propterea dederit Deus; at angor animi de iis, quæ in casum & providentiã Dei unicè reposita sunt, fiduciam spei Deo debitæ evertit. Rebus secundis spes plerumq; magna est, sed non Deo verùm sibi humanisq; consiliis confisa; ubi adversus navem ventus concutit, prodit se in præcipiti desperatione prioris spei vitium.

§. 16. Qvod desperatione peccatur à timidis, id ab audacibus peccatur temeritate, dum sibi qvàm securissimè illa à Deo promittunt, cujus nullum acceperunt indicium. Horum primi sunt, qvi promissiones gratiæ divinæ in securitatem peccandi vertunt, & qvanqvam immorigeri patrem cœlestem ad solvendum adoptionis jus qvotidie concitant, certam tamen sibi inde salutem sperant, contra monita Apostoli, *Rom. VIII. 8. seqq. c. VI. 12. 15. seq. Gal. V. 13.* qvasi Christus peccati minister seu procurator esset, *c. II. 17.* Huc pertinent

tinent & illi, qvi futuri peccati proæretici sibi à Deo veniam orant, cum v.g. precibus aut Sacramento præparati ad monomachiam procedunt. Deinde illi, qui in qvodvis periculum peccandi se præcipitant, sub audaci spe, fore ne qvicqvam inde capiant detrimenti. Cum enim Dominus jusserit deprecari tentationem, *Matth. VI.* 13. & infirmitatis nostræ memoriâ admoneamur ad solicitam cautelã, 1. *Cor. X.* 12. certè peccant inani fiduciâ, qvi vel sibi ipsis se sufficere censent ad illecebras peccati superandas, ut Petrus *Luc. XXII.* 33. vel divinam sibi opem promittunt ad ejus teli vim propellendam, cui se ultrò ipsos objiciunt. His accedunt porrò fanatici, qvi sine prudente rerum suarum curâ prospectum iri sibi sperant à singulari & miraculosâ Dei providentiâ; qvò Diabolus Christum inducere tentabat, *Matth. IV.* 4. 6. & in qvovis vitæ aut fortunarum discrimine de exitu, qvem animo præsagiunt, qvasi ex divinâ revelatione securi sunt; ob cujusmodi perstasiones vanas sæpe redarguuntur judæi, *Jer. VII.* 4. *XIV.* 14. *XXIII.* 16. *&c.* Quâ in re concurrit sæpe diffidentia cum temeritate mixta, ut de veritate communis promissionis divinæ dubius, temerariâ miraculi aut casûs extraordinarii spe eam tentes explorare, aut certum juvandi modum Deo præscribere. Qvam tentationem Dei omnino prohibitã esse docuit, eoq; nomine suggestiones satanæ rejecit Salvator, *Matth. IV.* 4. 7. Huc pertinent *ordalia* veterum, de qvibus tamẽ non sumimus nobis generale aliqvod judicium. Multa naturaliter contigisse possunt, qvæ pro miraculis habebantur, multa satanæ, multa hominum fraude, multa etiam extraordinariâ divinâ manu, fidem heroicam eventu probante. Sufficit nobis, ad imitationem similis hodie spei illa exempla trahi non debere.

§. 27. E-

§. 27. Ejusdem temeritatis est superstitio, qvæ ponitur in sortibus, insomniis & omnis generis divinationibus, cum vel ultra communem providentiam divinam, cui certè sors subjacet, *Prov. XVI.* 33. vel naturalium signorum prudentem conjecturam, qvæ etiam à crebrâ experientiâ sumi potest, aliqvid inde sive speratur sive timetur, *Jer. X.* 2. *Es. VIII.* 19. *XLIV.* 25. *Deut. XVIII.* 10. *seq.* Nam *sorti* locus qvidem est in rebus arbitrii humani, *Prov. XVIX* 18. non autem in qvæstionibus veri aut honesti determinandis, aut approbatione mentis divinæ explorandâ, nisi extraordinarius Spiritûs S. instinctus & causa subsit, ut *Act. I.* 24. *seqq.* *Somnia* prophetica cum prophetis expirarunt, aut si qvid singulare hodieq; accidere creditur fortè, vel signo prophetico opus erit, vel ab eventu solo habebitur ejus probatio. *Astris* qvæcunq, virtus fuerit in hæc inferiora, qvod deteterminare Theologi non est, libertatem tamen voluntatis humanæ non tollunt, per *c.* 4. §. 7. & sic neq; qvæ inde pendent, determinant. Interim tamen videant qvi astrologicam artem profitentur, an aliis, qvàm vanissimis Chaldaicæ superstitionis regulis nitantur, chiromantæ v. ac id genȣ harioli, annon multò ineptiora præcepta sequantur. Neque scimus, qvo jure plures ecclesiarum præcones ad *cometas* ut certissimos iræ & pœnarum divinarum indices populũ tam audacter soleant remittere. Etsi enim omne phænomenon extraordinarium nos ad reverentiam Deo auctori habendam meritò excitat, opinio tamen de præsagiis illorum non nisi ab ethnicis fluxit, & in Scripturæ S. vaticiniis de futuris in cœlo signis eò minùs fundatur, qvò certius est, illa propterea à Christo laudari, ut qvæ impiis terrori sunt, fidelibus spei causam præberent, *Luc. XXI.* 28. *seqq.* Spes fidelium omnia mundi prodigia contemnit, *Ps. CXLVI.* 3. *seqq.*

CAPUT VIII.

De

AMORE DEI.

§. 1.

Sicut fides causa est sperandi, ita utraqve & fides & spes causa est redamandi. Amor ille reciprocus, qvo Deum benefactorem proseqvimur (qvem *ascendentem* qvidam vocant, ut distinguant ab amore, qvo Deus nobis favet, qvem *descendentem* appellant) ipsa vis & forma est gratitudinis, qvò fides & spes non nisi animum disponunt. Formales enim fidei & spei motûs, in qvantum voluntatis sunt, omnes in nos ipsos redundant, ut nobis gratiam divinam habeamus, deqve præsente vel futurâ ejus felicitate gratulemur; adhæret qvidem DEO fiducia, sed ut nostræ tantùm securitati inde consulens, nec nisi in beneficia ejus cupiditatem unicè defixam habens: & sic omnes illi actûs, quibus vel agnoscimus bonitatem & constantiam divinam, vel ejus derivari in nos fructum credimus aut speramus, infra reciprocum animi studium aut vicissim placendi votum subsistunt. Hinc amor fide major est, juxta Apostolum *1. Cor. XIII. 13.* nempe internâ dignitate suâ, dum hominem actu habituqve mentis sanctiorem reddit, etsi fides est utilior, dum ab illâ omnis cœlestis gratiæ fructus, & ipse amor Dei cum redundantibus inde virtutibus habetur. Qvæ ipsa tamen utilitas fidei non ab ejus merito aut internâ virtute est, sed à solâ Dei gratiâ effectum hunc ei concedentis, & ab objecto, qvo nititur. Adde qvòd fidei & spei tantùm in hac vitâ locus sit, dum peregrinamur à

Resp. Joh. Henrico Wildhagen, Slesvicensi.

Domino, & objectum nostrum eminus ac tub nube speculi intuemur, *II. Cor. V. 7. Rom. VIII. 24.* amor verò & ad cœlestem gloriam pertineat, ibiqve perfectionis suæ culmen nanciscatur. Quæ amoris supra fidem eminentia facilè arguit errorem eorum, qvi amorem DEI vel formam vel genus aut partem fidei esse fingunt. Neq; enim amor se ipso major esse posset, nedum nudus potiore loco haberi, qvàm cum aliis actibus fidei vestitus compareret.

§. 2. Distinguunt scholastici inter amorem, benevolentiam, dilectionem, amicitiam & charitatem, qvòd dilectio benevolentiæ addat unionẽ affectûs, amori præviam electionem, eidem amicitia habitum, charitas perfectionem adjungat, in qvantum qvod amatur, magni pretii æstimatur, *vid. Tho. 1. 2. q. 26. art. 3. & 2. 2. q. 27. art. 2.* Unde *charitatem*, qvo tanqvam proprio nomine perfectum amorem Dei appellant, describunt ab objecto formali, qvòd sit amor, qvi fertur in bonum divinum, ut objectum beatitudinis & ultimum hominis finem, *id. 2. 2. q. 23. art. 4.* Sed ut illa arbitraria est vocabulorum definitio, quæ ultra scholas ad communem usum loqvendi non protenditur, ita eam magistris suis relinqvimus. Qvod si ex auctoritate veterum vim vocum distinguere malumus, diligere minus est qvàm amare, amicitiam consensûs mutui, charitatem verò & benevolentiam pietatis nomina esse dixeris: vid. loca imprimis Ciceronis in lexicis prostantia. Qvanqvam neqve hoc perpetuò discrimen observatur.

§. 3. Majorem utilitatem habet distinctio vulgata amoris in eum, qvi est *concupiscentiæ*, & qvi *amicitiæ*; sed qvæ emendanda tamen qvodammodo est, ut veram rei naturam exhauriat. Amare scholasticis ex Aristotele, *2. Rhet. 4.* est velle alicui bonum; ubi distinguunt motum amoris

ris in bonum, qvod quis vult alteri, qvi sit amor concupiscentiæ, & motum in objectum id, cui qvis bonum vult, qvi sit amicitiæ. At verò bonum velle alicui, proprium consequens tantùm amoris est, cujus formali conceptu non nisi objectum nobis placere dicitur. Distinguitur autem amor à modo & directione mentis diversâ, qvâ vel rem ipsam, vel usum aut possessionem rei hæc complacentia præcipuè respicit, & per consequens, qvatenus placet vel durare vel augeri cupit, quod apud Scholasticos dicitur bonum velle. Ille amor amicitiæ est, & fertur in rem simpliciter ut servandam vel augendam, hic concupiscentiæ, & fertur in rem, ut usu vel possessione sui augentem, juxta definitiones suprà *cap.* 4. §. 25. datas. Ille præcipuè in personas, hic promiscuè etiã in bruta & res inanimatas cadit. Etsi enim absurdũ non est, etiã ea, quibuscum amicitia non est, amore tamen amicitiæ amari, qviaaffectus talis, qvalis amicorum reciprocus est, potest ferri in non redamantem; non patitur tamen recta ratio, ut ea, quæ sui sensum vel nullum vel tenuem habent, & vel unicè vel præcipuè sunt propter usũ, alio respectu amentur. Qvod amicitiâ amatur, amatur quidem propter se, quod concupiscentiâ, propter utentẽ vel possidentẽ, sed uterq; amor iterũ respici potest vel ut jucundus perse, cũ in illo vel rei vel usûs & possessionis ejus amore acqviescimus, vel ut utilis, dum ab alio fine, qui magis amatur, voluntas nostra mensurã accipit. Dum autem non differre dicimus utrumq; amorem nisi ab eo, quod præcipuè respiciunt, concludimus quòd non differant realiter, nisi quousq; objectum suum non omni ex parte æqualiter respiciunt. Ubi penitus animum in illud effuderis, ita coalescunt, ut separari neqveant, sed solâ ratione discernantur. Quippe cujus omnes dotes fruitionem sui delectabilem præbent, ille simpliciter placet, ut ei omne bonum cupiamus, & cui sic vehementissi-

tissimè cupimus, ejus qvasi possessione aliqvâ delectamur. Etenim omnis voluntas, & sic qvoqve omnis amor fundamentalem involvit sui ipsius amorem, ut suprà *cap.* 4. §. 27. docuimus, quippe semper aliqvem secum trahens ex re amatâ vel gaudii obtinendi vel doloris avertendi nisum, in amicitiâ communi plerumqve levem & qvandoq; vix perceptibilem, in concupiscentiâ graviorem qvidem, sed ita, ut ab objecto remittens amor in nos ipsos desinat. Ubi verò intensior amor est, ipsa certitudo felicitatis objecti & sensus amoris nostri, quo illud prosequimur, pro fructu & possessione ejus est amantibus. Perperam igitur hanc distinctionem intellexit Maresius, cum Deum in hac vitâ non nisi concupiscentiâ amari dixit, inhiante scilicet, nondum possidente, *not. ad Castanæum sub voce AMOR.* notionem scilicet concupiscentiæ & desiderii confundens, & præterea eorum, qvæ amicitiæ propria sunt, in amore Dei planè oblitus. Perperam quoq; eandem distinctionem applicant, qvi omne desiderium fruendi Deo ad imperfectum concupiscentiæ amorem referunt, ut ab amicitiâ perfectâ & delectatione in perfectionibus divinis distinguant, qvasi sc. delectatio illa non etiam sit fruitio, atq; vel fruendi desiderium nullum esse debeat, vel amor etiam vitiosus & imperfectus nobis imperetur.

§. 4. Ex illâ coalitione autem affectûs amicitiæ & concupiscentiæ oritur distinctio amoris divini in *affectivum* & *effectivum*, quæ apud Theologos quosdam occurrit, non duarum specierum, sed duorum actuum unius amoris. Affectivus enim dicitur, quatenus nos afficit delectatio bonitatis & excellentiæ divinæ, effectivus, qvatenus procuratio etiam honoris ejus nobis grata est, ut voluntati ejus satisfacere studeamus. Ille actus frui-

fruitionem & possessionem Dei respicit, adeòq; concupiscentiæ accedit, hic verò id quod ipsi reddi potest, adeòq; amicitiæ est & gratitudinis. Abutitur illâ distinctione Sirmondus, cum amorem affectivum ab effectivo separat, & ab ipso qvoq; in Deũ studio animi avulsum, solo operum obsequio definit. Quâ ratione & ab illis Deum amari dicit, qui qvâvis aliâ de causâ id præstant, qvod aliàs effectus amoris esse solet. Satis quidem frigidè; minùs tamen absurdè, qvàm Stoicus in Hiberniâ doctor, Jo. Sternius, præceptorum divinorum executionem contendit non metonymicam, sed formalem omnis amoris notionem esse, aut Tamburinus Jesuita amoris nullum officium speciale agnoscit, sed per omnia alia diffusum, quorum tantùm complexum generalem hac voce denotari disputat. Sed si vera rerum vocabula non perdidimus, amor in mente est, non in opere externo, & motus voluntatis non in rem præstandam, sed in objectum illud, cui qvid præstandum est, adeoqve virtualis tantùm obedientia, quæ reliquorum actuum principium & causa impulsiva interna est, eoque sensu πλήρωμα νόμυ dicitur *Rom. XIII, 10.* Alii amorem Dei distinguunt in complacentiam, benevolentiam & conformitatem; qvorum actuum primus cum amore affectivo coincidit, secundus & tertius effectivum distinguunt in vagum & determinatum, ut benevolentiâ Deo honorem suum procurari cupiamus, conformitate à nobis id fieri cupiamus.

§. 5. Ratio seu causa impulsiva amoris objecto suo vel adæqvata est vel inadæqvata, unde ipsum objectum vel plenè vel ex parte tantùm amatur. Inadæqvatam rationem voco etiam eam, qvæ objecto non singularis & individua, sed universalis & generica est. Nam qvi amatur qvà homo, nondum amatur qvà hic homo, nec secundùm omne sui, sed secundùm id, qvod æqvalem

plurium, distinctorum licet, amorem fundat. Ubi sic inadæqvata amandi ratio est, sæpe idem objectum alterâ parte placet, alterâ displicet, ita ut pro momento causæ magis minùsve huc illuc affectus præponderet. Qvanqvam autem amor objecti non ultrà ascendit, qvàm quò à causa suâ propellitur, sæpe tamen vel concurrens vel succedens altera alteram juvat, ut ex pluribus inadæqvatis causis tandem adæqvatus illi amor exurgat. Dulcescit facilè ex longâ consvetudine, qvod qvovis modo animum amantis attraxit, ut dum in eo defixi hæremus, id etiam citra respectum ad illam causam, propter quam primùm placere cœpit, gratum atq; charum fiat, præsertim si tale est, ut causas amoris plures præbere possit, qvas observanti experientia detegit. Præsertim verò primum ad amorem stimulum addere solent accepta beneficia; sed ille qvousq; in solo hæret objecti usu, amor tantùm concupiscentiæ est, cum ulteriùs ad considerationem ipsius bonitatis ducit beneficia illa largientis, jam inde causa oritur, ut intendatur amor, & ad justum succrescat amicitiæ & gratitudinis affectum. Ubi sæpe fit ob repertas novas amandi causas, ut formalis amor, quo benefactorem vicissim proseqvimur, longè major sit omni gaudio beneficii sive accepti sive sperati. Eadem causa est eorum, qvos primùm aliena aut turpis causa ad amplectendam veram religionem impulit, postea agnitio veritatis, cujus addiscendæ considerandæve nata est talis occasio, ad veram fidei certitudinem Deiq; justum amorem impellit.

§. 6. His positis ut evidenter pateat, qvâ ratione amor Dei ex fide fluat necessariò, duplex ejus cum illâ vinculum docendi causâ distinguimus, alterum naturale, qvà affectivus est, alterum morale, qvà effectivus. *Naturale* voca-

vocamus hoc loco, non qvod homini sine gratiâ Spiritûs S, ineſt, ſed qvod ex naturâ affectûs fiducialis divinitus excitati ſeqvitur per ſe, dum vita fidei, qvam ab internis gaudii motibus ſuprà deſcripſimus, *cap.* 7. §. 13. ſicut amorem rei de qvâ gaudemus involvit, ita & amorem ejus qui gaudii cauſa eſt, qvà talis, neceſſariò ſecum trahit, per *cap.* 4. §. 28. Qvò plus enim agnoſcitur natura beneficii, ejusqve cauſalitas, de cujus nobis certitudine gratulamur, eò impenſiùs etiam amari benefactorem certum eſt, ſecundùm naturam & conſilium illud, unde beneficium procedit, ita ut generaliter nemo beneficii alicujus ſenſu afficiatur, qvin eo etiam amoris ſtudio trahatur. Nam qvi ita ferox & inſulſus eſt, ut amorem hunc in benefactorem non vertat, eum neq; ipſum beneficium tanti æſtimare neceſſe eſt. Itaq; ubi vera fides eſt de gratiâ Dei & remiſſione peccatorum, ibi bonitatem Dei tam liberaliter nobis proſpicientis, & inſignem Chriſti φιλανθρωπίαν, noſtrâ cauſâ incarnati & peccati pœnas paſſi, impenſè admiramur, & charam habemus, & qvantò nobis hæc ſalutis recuperatio gratior eſt, tantò ſuaviùs erit Deum eo nomine aſſiduè amare, 1. *Joh. IV. 19. Luc. VII. 47.* Qui amor etſi primùm omnis intra concupiſcentiæ terminos conſiſtit, dum non tam Deum ipſum, quàm fructum ex illo captum capiendumve reſpicit, & pro ultimo fine non niſi noſtram intendit felicitatem; ipſa tamen contemplatio bonitatis divinæ diligentem, eamq; ſibi ſervari volentem, ulteriùs propellit, ut & Deum propter ſe ipſum amare diſcat. Excellentia enim divinæ bonitatis, qvàm primum ad illam amandam noſtræ utilitatis ſenſu ſtimulamur, tantis ſe divitiis explicat, ut mentem facilè inæſtimabili quâdam dulcedine ad uberiorem ſui amorem rapiat, tanqvam in deſiderii noſtri terminum,

cujus

cujus continuâ existentiâ unicè delectemur. Qvantò igitur spiritualis cognitio Dei plenior est, tantò etiam hic amor certior est, nec defectus charitatis nisi ab ignorantiâ Dei practicâ procedit, ceu *I. Joh. IV. 8.* dicitur.

§. 6. Morale fidei & amoris vinculum est, qvod sola recti & honesti conscientia animo dictitat, dum intelligimus omne beneficium esse obligatorium, idq; ex naturâ subordinatorum, qvòd omnis in nos cujuscunq; rei aut potestatis concessio dirigat ejus usum ad voluntatem concedentis, per *cap. 5. §. 21.* qvòdq; qvi ab illâ se velit obligatione liberare, ex naturâ oppositorum tantùm debeat retribuere posse, qvantum accepit, per §. 17. *ibid.* Nam idem Spiritus S. qvi accendit in nobis desiderium, acceptationem & gaudium salutis nostræ, idem quoq; excitat naturalis & æternæ hujus honestatis considerationem, & ex consideratione animi studium, *I. Joh. IV. 19.* neq; alterum illum animi motum sine altero patitur radicari. Studium illud animi, in qvantum dirigitur ad ipsum objectum obligationis nostræ, ipse motus amoris est, qvo Deo cupimus, quod ipsi debetur, juxta *cap. 5. §. 19.* Compensatio autem ut Deo detur aliqva gratiæ in nos collatæ, planè fieri neqvit, tum per naturam ipsius Dei, cui ceu infinito bono nihil vel adjici vel adjicendum optari potest, neq; nostra qvantacunq; probitas qvicqvam prodest, *Jobi XXXV. 7. seq. Rom. XI. 35.* tum per naturam nostram, quorum omnis actio bona & ipse erga DEUM amor qvantuscunq; fuerit, divino beneficio talis est, qvi solus facit ut ipsum amemus, *Joh. XV. 5. Phil. II. 13.* Restat igitur ut omne studium nostrum in illo occupetur, ut gratiâ & beneficio divino ita utamur, qvemadmodum ipsi placet, & quicquid ipsi quomodocunque gratum facere possumus, ipsi viciſſim præstare optemus. Atque ita

charitas

charitas seqvitur naturam fidei, ut qvemadmodum hæc novit finem, in qvem sibi beneficia divina data sunt, ita illa eundem cupiat obtinere, & pro mensurâ cognitionis affectũ filialem dirigat ad honorem Dei adoptantis. Qvod nisi fieret, gravissimo ingratitudinis peccato animus involveretur: id qvod de operatione Spiritûs S. absurdum est cogitare. Id verò est, qvod dicit Apostolus, *I. Tim. I. 5.* charitatem, quæ prædicatione Evangelii qværitur, procedere *ex puro corde*, id est, non ad alienum finem cupiditatem suam dirigente, *ex bonâ conscientiâ*, qvâ novit homo se Deo non amplius displicere, sed ipsi gratum qvid præstare posse, *& fide non fictâ*, id est, verâ & vivâ, gratitudinem animi reapse accendente.

§. 8. Cum igitur fides & charitas arctis ejusmodi vinculis connectantur, ut omnino divelli neqveant, nullum dubium est, æq; hanc atq; illam omnibus præceptam esse, neqve ad fidem vocari hominem posse, qvin & ad charitatem pariter vocetur, seq; credendo ad eam specialiter obliget, ultra obligationem, qvæ jam tum per naturam omnibus incumbit. Atq; ut fide eos, qvi in statu gratiæ sunt, & sine interruptione esse cupiunt, nullo temporis momento excidere oportet, ita neq; hoc amore Dei, sed utriusq; habitum continuum servare, actûs omnes nostros dirigentem, *1. Joh. IV. 16. Joh. XV. 9. seq.* Sic per omnem vitam se amari jubet Deus, *Deut. XI. 1. & XIX. 9.* & anathema dicitur non amanti Jesum Christum, *1. Cor. XVI. 22.* Qvare miramur insignem vecordiam non tantùm Ant. Sirmondi Jesuitæ, qvi amoris divini non tam præceptum qvàm consilium agnoscit, aut si omnino præceptum, non rigoris tamẽ sed clementiæ, id est, tale qvod impunè negligere liceat (de quo latè *Windrock. not. 3. ad ep. X. Mont.*) sed & plerorumqve inter pontificios moralistarum, qvi cum per

bitum charitatis divinitus infusum se coram Deo justificari, & consequenter etiam salvari docent, non tamen habitũ, sed actûs tantùm transeuntes sub præceptum cadere statuunt, quod apud *Thomam* 2.2. *q.* 31. *seq.* frequenter occurrit; adeòq; nec semper hoc charitatis præceptum observatu necessarium esse statuunt. Unde quando & quousque obliget, variis disputationibus & sententiis distrahuntur, aliis ad momentum justificationis aut contritionis, aliis ad momentum, quo incipit usus rationis, aliis ad singula festa, aliis ad tempus gravis alicujus tentationis, aliis speciatim ad tentationem odii Dei aut blasphemiæ superandam, aliis ad sacramentorum, præcipuè verò eucharistiæ participationem, aliis ad articulum mortis, aliis ad caulam martyrii, aliis indefinitè ad unum actum quovis anno, triennio vel quadriennio, vel in totâ vitâ deniqve, obligationem ejus restringentibus. Quemadmodum post alios has sententias collegerunt *Henr. de Villalobos*, *part.* 2. *tr.* 3. *diff.* 2. §. 5. 6. 7. *summæ moralis* hispanicè scriptæ, & ex Escobario *Montalt. epist.* 10. *p. m.* 257. Sed de his hominibus rectè dixeris cum Hulsemanno *Man. disp.* 5. §. 9. quòd imitentur debitorem illum neqvam, *Luc. XVI.* 6. *seq.* qvi cum creditori satisfacere se posse desperaret, normam adulterabat, ad qvam solutio præstanda erat, ut pro centum qvinqvaginta (imò vix unum) scriberentur. Qvare rectè omnino à Jansenianis eo nomine vapulant.

§. 9. Est autem præceptum hoc charitatis omnium maximum, *Mar. XII.* 30. 33. qvia agit directò de objecto summo & nobilissimo ex causâ omnium maximâ, & dominii & beneficii ejus, unde vitam & salutem optimam maximam, qvæ pluris qvàm ipsa vita est, unicè & extra omne meritum nostrum habemus, & ad officium omnium præstantissimum atq; generalissimum ducit,

cit,

cit, nempe plenissimum animi studium, qvod in objectum dari potest, qvod omnium aliorum officiorum principium, dux atqve regula est, *1. Cor. XVI. 14.* in qvo vertuntur lex & prophetæ, *Matth. XXII. 40.* non verò aliunde limitationem accipit. *vid. suprà cap. 5. §. 18.* Habent vulgò moralistæ regulam, qvòd *affirmativa præcepta obligent semper, sed non pro semper, negativa verò & semper & pro semper*, id est, hæc qvidem obligent ad perpetuam abstinentiam, sed illa non ad perpetuos actûs; unde tanqvam præcipuo argumento perpetuæ quoq; charitatis obligationem oppugnant. Sed hæc regula etsi eo sensu vera est, qvòd nihil ita demandatum sit, ut nos vel à reqvie necessariâ vel ab officiis aliis excludat, malè tamen explicatur, cum non tantùm qvod de casibus & objectis iis rectè dicitur, qvæ non semper existunt, ad Deum applicatur, qvi semper diligibilis est, sed & affirmativa omnia in concursu tum sibi invicem tum præcipuè negativis cedere creduntur. Qvæ persvasio ex imperfectâ, ut fieri solet, inductione exemplorum nata, à verò fundamento æstimandæ fortioris obligationis, *l. c.* à nobis tradito, nimis aberrat. Etenim æq; fortis obligatio est agendi, qvod justum est, qvàm non agendi qvod injustum, imò vitandi vitii nullum esset præceptum, nisi anteriore officii lege nixum, *vid. cap. 2. §. 13.* Obligatio autem erga homines cedit obligationi erga Deum, sive negativis sive positivis præceptis contineatur, ut *tò non occides, Gen. IX. 5. seq.* mandato immolandi filium, *cap. XXII. 2. 12.* Itaq; obligatio charitatis, qvâ nihil majus Deo præstari potest, omnem aliam obligationem superat, ut semper prædominetur.

§. 10. Obligatio præcepti est ad amorem summum, ut omnes animi vires illi impendamus, *Deut. VI. 5.*

X. 12. XIII. 3. Matth. XXII. 37. si ex causâ etiam naturali, ut ostendimus suprà *cap. 6. §. 12.* multò magis ex causa fidei, ingens omnino pondus naturali obligationi adjiciente. Nemo potest negare, qvin justum sit Deum ita à nobis amari, ideoq; nec minus in præcepto esse, qvàm qvod justum est, somniare licet. Duplex autem est perfectio, monente Thomâ, altera ex parte diligendi, cum tanto amore excipitur Deus, qvanto dignus est, qvæ à nullâ creaturâ expectari potest, (ut infrà §. 12. patebit) altera ex parte diligentis, cum tantum amat, qvantum potest; hæc iterum alia absoluta in statu integro, qvam poscit rigor legis divinæ, alia comparata post lapsum in statu gratiæ, qvam clementia acceptat. Secundùm hanc cum laudantur fideles, qvòd *ex toto corde* Deum ament vel amaverint, utiq; ab amore intensivè summo, prout haberi potest, laudantur. Sed illa nimis diluta Jesuitarum commentatio est, qvâ phrasin juris ex phrasi facti emollire satagunt, qvasi æq; populari sensu, nec majore emphasi regula juris intelligi debeat, qvàm qvâ David aut Josias *I. Reg. XIV. 8. & II. Reg. XXIII. 25.* eam dicuntur secuti esse. Perfectio igitur amoris summa est, qvam debemus, inferior, qvàm obtinemus. Sed & hæc, qvæ in hoc statu nostro datur, ita firma non est, qvin facilè à fervore suo remittat, juxta *Matth. XXIV, 12. Apoc. II. 4.* nisi continuo qvodam fomite atqve stimulo acriùs subinde excitata, contra carnis imbellicitatem procrescat, *Matth. XXVI. 41.* Inepta est Thomæ philosophia, *2.2. q. 24. a. 10.* qvâ charitatem perdi qvidem penitus, non autem diminui nisi indirectè posse disputat, qvòd np. peccatum veniale efficiat tantùm deordinationem circa media, non circa finem ipsum. Qvasi verò à fine non retardetur, eòq; languidiùs feratur, qvin & illo excidat interdum planè, cui circa media illuc

illuc ducentia accidit deordinatio. Ideoque ut nullus gradus amoris in hac vitâ legi satisfacit, ita in nullo etiam securi acqviescere possumus, sed semper ultrà niti oportet ut proficiamus, *Phil. I. 9. Eph. IV. 15.*

§. 11. Propria amori est delectatio in re amatâ, qvæ ut ille crescit, pariter major usqve amanti oboritur. Itaqve si Deum, ejusqve filium Jesum Christum impensè amamus, ejus omnis memoria nobis suavis est, ut ejus majestatem, bonitatem atqve atttributa omnia, qvæq; nobis præstitit beneficia, lubentissimè meditemur, subinde cum illo mente qvasi colloqui, deqve eo audire gestiamus. Inde amor affectivus dicitur, quòd afficiat animum singulari aliqvâ dulcedine ab objecto in nos redundante. Ita fideles afficiuntur à Deo, *Ps. XXXIV. 9. XXXVI. 9. LXXXIV. 3.* & ab omni verbo Dei, *Ps. XIX. 11. CXXX. 103. Hebr. VI. 4. seq.* ut in Deo ceu maximo sibi thesaurio lætentur, *Ps. XLIII. 4. LXXIII. 28.* ita ut propterea & locus ipse & societas dulcescat, ubi Deus colitur, *Ps. LXXXIV. 2. 11.* ut in contemplatione rerum divinarum mentem freqventer defixam habere ament, *Ps. LXIII. 7.* de iis assiduè loqvi, *Ps. L. 2.* canere, *Col. III. 16.* precibus ad Deum occupari, *1. Thess. V. 17.* & à sacris omnibus ægrè avelli, *Ps. LXIII. 2. 3.* Nam ubi thesaurus, ibi animus, *Matth. VI. 21.* & id qvo abundat animus, sonant labia, *cap. XII. 34.* Qvem gustum dulcedinis dum qvasi naturalem mentis reflexionem spernit, & eripere conatur discipulis suis, orti nuper & repressi in Italiâ qvietismi parens, Mich. Molinos, pro illo ariditatis mysticæ horribile martyrium commendans, absurdam parat atheismi pariter & desperationis viam. vid. *Ps. CXIX. 50, 92.* Ceterùm delectatio illa in Deo ita suma esse debet, ut exhauriat omne desiderium nostrum, ut in illo nos nullius boni defectus cruciet, *Ps. XXXIV. 10. 11.* nisi

ille, qvòd nondum plenè ipso fruamur, *Ps. XLII.3.* Nam ut amor est vehementior, magis accenditur desiderium plenissimæ fruitionis & præsentiæ. Unde non potest qvin molesta sit hujus vitæ ἀποδημία, & casto qvodam animi ardore qvàm primum beatâ Dei visione in cœlis recreari expetamus, *II. Cor. V. 2. 8. Phil. I. 23.* Qvod desiderium castum est, cum ex puro Dei amore fluit, non vel (1) ex contemtu aut tædio verbi revelati & communis gratiæ, qvã Deus in hac vitâ fidelibus admetitur, novum aliqvod lumen in viâ sive gloriæ sive prophetiæ analogũ, raptûs, ecstases, iñersionem & transformationẽ sui in divinitatis abyssum cum fanaticis affectante, conf. *1. Joh. II. 24.* vel (2) ex murmure & impatientiâ deterioris in mundo fortunæ: imprimis verò non tam voluntatis alicujus fixæ qvàm velleitatis est, se providentiæ divinæ submittentis, exemplo Pauli, *ll. cc.*

§. 12. Amor intensivè summus est etiam comparatè summus, ita ut non tantùm nullus illo major sit, sed & ipse æqvaliter in plura objecta dividi neqveat, ceu suprà *cap. 6. §. 19.* monuimus, ideoq; amor Dei omnem aliam animi propensionem superare debet, qvam erga quodvis cœli terræve objectum habemus, *Ps. LXXIII. 25.* patriam, parentes, filios, & qvicqvid usquam charum est, *Matth. x. 37.* Siqvidem pro mensurâ excellentiæ atq; beneficii distinguenda amoris comparatio est, ut omnino naturalis ratio postulat, facilè patet, qvòd qvemvis aliarum rerum amorem infinitis gradibus superare debeat ille, qvo Deus excipi meretur, adeoq; verũ sit, qvod modo diximus §. 10. *b.* nullam creaturam, qvippe cujus omnis actio finitæ virtutis est, ei eliciendo parem esse. Sed qvod non potest infinito intervallo discerni, maximo tamen debet, ut amor Dei saltim ubiq; dominetur. Imò Deus omnium rerum & principium & finis est, qvi omnia condidit propter

pter se ipsum & ad gloriam suam, *Prov. XVI. 4. Rom. XI. 36.* propterea & qvà talis in amore considerandus, neq; res creatæ alio fine aut respectu amandæ sunt, qvàm ad qvem conditæ sunt, id est, amandæ sunt ut effectûs divini, ut documenta gratiæ ejus, & ut media, per qvæ ad Dei amorem adducimur. Id qvod fit, cum ad qvamq; rem, qvæ placet, etiã dum placet, recordamur Dei ut effectoris & largitoris ejus, eiq; eo nomine gratias habemus, *vid. Deut. VIII. 10. 14. I. Tim. IV. 4.* Eo sensu aliqvoties Augustinus inculcat, solo Deo fruendum, aliis rebus utendum esse. Solus enim Deus ita bonus est, ut ultimatò propter se ipsum delectet, *Matth. XIX. 17.* alia verò & si per se grata dici possunt in ordine ad finem particularem, tamen in ordine ad finem universalem non nisi propter Deum solum delectare debent. Itaque excluditur amor alienus per amorem Dei, & infertur etiam. Excluditur, dum omnia, qvæ citra talem subordinationem Deo vel opponuntur vel apponuntur, sordescere debent, qvantacunq; sint, *Phil. III. 8.* etiam familiarissimi nostri, qvi maximo pietatis affectu nos attingere solent, *Deut. XXXIII. 9. Luc. XIV. 26.* totus hic mundus cum omni apparatu suo, *1. Joh: II. 16.* Nam & ita arcto nos sibi fœdere conjunxit Deus & Redemtor noster, *II. Cor. XI. 2. Eph. V. 25. Hos. II. 19.* ne minore crimine qvàm sponsa adultera, in alienos amores animum dividere possimus. Unde careat vero amore Dei necesse est, qvi animum in delicias hujus mundi effusum habet, *1. Joh. II. 15.* Infertur item amor alienus per amorẽ Dei, dum sicut sponsæ tn. grata esse debent dona sponsi, in quantũ ab illo offeruntur, ita fidelibus qvoq; ipse amor Dei imperat subordinatum illi amorem bonorũ hujus mundi, qvæ Deus largitur, ne spernatur liberalitas benefactoris, *Eccl. V. 17. seq.* neq; Christianos Deus ita esse

vult

vult animis superbos, ut alia omnia, scientias, artes, cantûs, picturas, flores, & qvæcunqve vitam hanc jucundam facere solent, simpliciter contemnant. Cujusmodi error ut fervidos sancto affectu animos qvandoq; corripit, ita cavendus sedulò est veris pietatis cultoribus.

§. 13. Sicut aliarum rerum omnium, ita & nostri ipsorum amorem necesse est ut superet summus amor Dei, qvatenus nempe formale nobis amoris objectum & causa gaudii sumus, argum. *Rom. XV.* 1. Nam neq; nos propter nos ipsos, sive primùm creati, sive à statu mortis redemti & ad vitam electi sumus, sed propter Deum, ad ejus gloriam augendam, 1. *Cor.* XI. 7. *Eph. I.* 6. 1. *Petr. II.* 9. ideoq; sic demum nos ipsos rectè diligimus, si propter finem illum, qvatenus eum Deus in nobis assequitur, diligimus, nempe ut amor qvoq; nostri amori divino subordinetur, nec nostram unqvam gloriam, sed divinam expetamus, *Ps. CXV.* 1. nostras qvascunq; dotes ipsi acceptas feramus, 1. *Cor. IV.* 7. *XV.* 10. & ad autorem suum eo nomine magis amandum referamus, *Jer. IX.* 23. *seq.* ut sic ultimatò nobis omnis sit de Deo gloriatio, 1. *Cor.* I. 31. *II. Cor.* X. 17. Ita citra Deum nulla nobis felicitatis æstimatio esse debet, sive illa fuga mali sit, sive consecutio majoris boni. Qvod ad fugam mali attinet, superare debet amor ejus omnem famæ, vitæ, valetudinis bonorumq; curam, ut cum gaudio & gratulatione illorum omnium jactura feratur, sicubi ad honorem Dei impendenda sunt, *Act. V.* 41. *XXI.* 13. Neq; qvicqvam ita adversum homini accidere potest, cujus velmetus vel sensus de jure nos ab hoc officio & amandi Deũ delectatione abducat, *Cant. VIII.* 6. *seq. Ps. LXXIII.* 26. *II. Cor. IV.* 8. *seqq.* Etiam qvi ab irâ & aversione objecti amati angitur, ipsum amorem angoris sui fundamentũ habet. Id qvod argumentum evidens est, neq; infernales pœnas, & æternam à facie Dei rejectionem, suâ naturâ ad amorem

remDei aut obligationem ejus extinguendam sufficere; qvemadmodũ neq; Christus in feralibus illis angustiis Patrem amare desiit, *Luc. XXII. 44. Matth. XXVI. 42.* utut qvi actu damnati sunt, nullum Dei amorem habere possint, qvippe jam ante extinctum, neq; peccantium viribus recuperabilem. Ideoq; Deum magis etiam qvàm salutem nostram & ipsam Christi redemtionem amare oportet. Præterea in consecutione boni, gratiorem esse decet fontem omnis boni, qvàm rivos, qvi inde deducuntur, ne non tantùm quamvis gloriam hujus mundi, sed nec ipsa charismata divina, nostræq; sanctitatis sive initia in hac vitâ, sive complementum, & felicitatem subjectivam in alterâ æternâ, plus exosculemur, qvàm Deum qvi eorum omnium nobis causa est. Eqvidem remunerationem cœlestem licet intueri amantibus viatoribus, ut intuiti sunt Patriarchæ & Moses, *Hebr. XI. 10. 26* propterea etiam promissam, *Ex. XX. 6.* sed vel non principaliter, vel ut illa retributio objectivè considerata ipse Deus est, *Gen. XV. 1.* in cujus fruitione, imò amore, si Scotistas audimus, beatitudo cœlestis formaliter consistit.

§. 14. Ita verò cum amor Dei superare debet suo pondere qvemq; alium amorem actualem & formalem, magis etiam debet potentialem & virtualem, in hypothesi faciendæ æstimationis se demũ exerturũ. Nimirum levicula sunt hominum ingenia, ut sæpe affectu fervido illa anteponant, qvæ deinde cum ad se redeunt, agnoscunt sibi minoris esse debere, qvàm ea, qvæ negligunt aut languidiùs amant. Tum etiam qvæ nullâ jucunditate propriâ delectant, utilia tamen vel necessaria media esse possunt ad alium finem, qvi magis placet, obtinendum, adeoq; sub eo respectu anteferri aliis propter se gratis, qvibus aliàs cedere coguntur, v.g. si comparetur cum ca-

norâ avi totus grex porcorum, idem ſvavitate minor, utilitate major æſtimabitur. Cumqve id, qvod ſuâ vi movet, naturâ priùs alliciat animum, qvàm qvod alienâ, ſit ut plerumq; tam utilitatis qvàm honeſtatis judicium tum demum prævaleat, cum de pretio aut jacturâ rei qværitur. Hanc vocant Scholaſtici appretiationem, & qvi Deum ſibi per ſe ac ſemper jucundiſſimum habere debebant, ſatisfaciunt ſibi omnino, cum non niſi appretiativè ſummum amorem, id eſt, ſi qvando de vero ejus pretio qværitur, ſvetas animi propenſiones corrigentem, ipſi vindicant. Qvin invenias, qvi ita vecordes ſunt, ut in theſi generali ſubſiſtere jubeant, qvâ agnoſcatur, qvòd jactura Dei omni aliâ calamitate gravior ſit, neq; ad appretiationes particulares deſcendere. ne forte prodant animi ægritudinem, in objecta hujus mundi ita defixi, ut nullâ Dei curâ inde abſtrahi poſſint. Dicendum potiùs erat, diligente ſui examine per ſingula exempla progreſſo unumqvemq; experiri debere, qvid peccet, qvidq; in ſe emendare oporteat qvotidie, ut ad purum rectumq; Dei amorem, qvem lex præſcribit, magis magisq; accedat.

§. 15. Tandem ad ſummam intenſionem amoris reqviritur etiam, ut ſit adæqvatus ex parte objecti, atq; ex omnibus illis cauſis procedat, ex qvibus nobis amandi obligatio eſt, qvas in Deo revelatio Scripturæ detegit. Ita qvidem ut qvemadmodum nullæ in nobis animi vires ſunt, qvin occupari debeant in amore Dei, ita nihil in Deo cognitum ſit, qvin à nobis omni ſtudio ametur. Qvo ſtultior conatus eſt novi Qvietiſtarum conditoris, qvi omnes rationes formales obligationis noſtræ, qvibus Deum ut paſtorem, medicum, patrem, dominum reſpicimus, tanqvàm puri amoris impedimenta negligere & abjicere jubet, ut ſic tandem omni ſuo nervo atq; to-

fomite amor ſpolietur. Qvod autem de Deo diſtinctè cognoſcitur, attributa ejus ſunt, relationes perſonales, actiones & decreta. Qvantum ad perſonas, Patris, Filii & S. Spiritûs unus amor eſt, ſicut una deitas, & ſic neq; attributa à Deitate amor ſeparare debet. Jam verò qvi non omnes Dei actiones amat, neq; omnia ejus attributa amat, unde & qvibus conformiter actiones procedunt, ſed vel ſapientiam Dei vel juſtitiam, bonitatem &c. ſibi qvodammodo diſplicere, aut non ſatis placere oſtendit. Cum autem iſta non omnino placent, adæqvatè Deus non placet, ſed aliqvâ tantùm ratione. Idem dicendum de iis, qvi de rebus divinis aliter perſvaſi ſunt, quàm oportet, de relationibus vel attributis deitatis pravas opiniones fovent, vel aliis ejus decretis, ad juſtitiæ divinæ moderationem aut peccatorum indulgentiam ſibi blandiuntur, quàm S. literæ promittunt. Hi enim Deum non amant qualis eſt, ſed qualem ſibi optant aut fingunt. Porrò quicquid in Deo non amatur, id vel ſpernitur vel odio etiam habetur, (gravi certè utrinq; peccato) & ab odio, cum qvod averſamur, nobis imminet, timor oritur. Eo ſenſu amor perfectus timorem excludit, *I. Joh. IV. 18.* quia cum omnia in objecto grata ſunt, nullus ab eo timori locus eſt, nec qvicquam inde, quod angat, expectatur. Inde igitur perfectionem amoris affectivi erga Deum dignoſcere jubet in hac vitâ Joannes *l. c. v. 17.* quòd cum plenâ fiduciâ ſine angore animi etiam coram tribunali ejus comparere auſimus, ut qvibus nihil ingratum futurum eſt, quod ipſi placet decernere, certis, quòd concordes animis, *ſicut ille ita & nos ſimus*, & unus cum illo ſpiritus, *I. Cor. VI. 17.* Aliàs timor reverentiæ amoris effectus eſt, *Deut. X. 12. XIII. 3. ſeq. Hebr. XII. 28.* qui non ab averſatione objecti fluit, ſed rei quæ objectum lædit, quem

filialem vocant, ut illum alterum servilem, ex *Rom. VIII. 15.* qvâ dere suo loco.

§. 16. Intensio autem amoris qvamvis Deo debetur maxima, seqvi tamen debet modum cognitionis, qvem de se in verbo revelato concessit, ne contra primam moralitatis regulam, *cap. 3. §. 12.* traditam, præcipiti ardore suo intellectum antevertat, nec contra alteram *ib. §. 13.* eundem vel impediat vel corrumpat. Primùm *ne antevertat.* Amor enim fructus est cognitionis, *II. Petr. I. 3.* & qvi rectè amat Deum, cognoscit, *1. Joh. IV. 7.* etsi qvòd ames, etiam ad confirmandam Dei cognitionem prodest, *Joh. XIV. 21. Eph. III. 17. seq.* & experimentum dulcedinis divinæ, cognitionem ejus literalem & theoreticam reddit spiritualem & practicam, *ib. & Ps. XXXIV. 9.* At qvi causas sui vel nullas vel pro vehementiâ suâ insufficientes novit, brutus ac cœcus amor est, adeòq; vitiosus, *Luc. VI. 39.* Unde inepti sunt, Theologiæ, ut vocatur, mysticæ commendatores, cum voluntatem incitatissimo in Deum affectu ferri volunt, interim dum foris consistit intellectus (qvæ verba sunt Sandæi) & in caliginosâ contemplatione Dei, solâ se oblectante negatione comprehensibilitatis, libertatem amoris, magnitudinem suam explicaturi, qværunt, qvasi eo nomine Deus amari debeat, qvod qvid sit, nescias. Planè contra mentem Apostoli, Athenis ignotum Deum cognoscere jubentis, *Act. XVII. 23. 27.* & ipsius Christi, *Joh. IV. 22.* Deinde *nec impediat* intellectum amor. Non enim laudabilis est amandi Deum modus, qvo obliviscimur omnis positivi de Deo conceptûs, rerumqve aliarum omnium, qvæ velut opera, beneficia, & effectûs ejus laudari poterant, vel officii nostri curam exposcunt, *Deut. IV. 9. Ps. CIII. 2. II. Tim. II. 8. Prov. IV. 5.* Qvare iterum improbandi sunt iidem doctores

res, cum per seceſſum myſticum, recollectionem & introverſionem ſui, conatum & aſpirationem amoris divini ducunt, & Weigelius, cum in pari ſabbatiſmo mentis felicitatem hominis qværit, ut ſubductus omnibus creaturis quaſi in ſolitudine cum Deo loqvatur. Qvaſi illa ſit paupertas ſpiritûs, & regnum Dei intra nos latens, qvæ Chriſtus commendat, *Matth. V. 3. & Luc. XVII. 21.* ut faſtidiamus qvod intelligimus, captando, qvod mentis humanæ vires excedit. Tandem *neqve corrumpat* amor intellectum, qvem de Deo habere oportet, alium ſibi, qvàm qvi eſt, fingendo. Sumus omnes phantaſmatibus & corporeis imaginibus ita aſſueti, ut nihil impenſiùs cogitare poſſimus, qvin aliqva idea ſeu imago objecti vera vel falſa, ab agitantibus ſe in cerebro ſpiritibus picta, menti obverſetur. Qvæ res facit ut & conceptûs purè intellectuales ſpecierum ac idearum nomen ſortiti ſint, & in praxi ſæpe à philoſophis confundantur, ut monuimus *cap. 3. §. 8.* Unde adeò fieri neqvit, qvin mente in contemplationem ipſius eſſentiæ divinæ & incomprehenſibilis ejus gloriæ defixâ, incidant nobis ejusmodi imagines corporeæ, qvæ qvamdiu pro ſymbolis Deitatis in attributis ſuis conſpicuæ habentur, amorem à ſe declinatum altiùs vertunt, ſed cum eum fortiùs ad ſe trahunt, jam pro ipſâ Dei ideâ accipiuntur, & in praxi ſaltim amantis fingunt Deum corporeum. Qvem errorem ut Deus ab oculis, ita & à mente remotum eſſe voluit, *Deut. IV. 15. ſeq.* Propterea animum ab aſpiratione faciei aut eſſentiæ divinæ ad œconomiam ejus, & elucentia inde attributa convertere, & ſic à poſteriori eum & videre & viſum amare ſatiùs eſt, qvàm altam atq; arduam viam tentare, qvæ vel ad phantaſmata delabitur, vel ſine illis neqvicqvam in hac vitâ à myſticis qværitur. *conf. Ex. XXXIII. 22. I. Reg. XIX. 13.*

§. 17. Ex hac cautelâ adversus impetum phantasiæ fluit porrò, qvòd purus & castus amor Dei, qvantumvis major & intensior, minùs tamen sensibiliter in ipso sanguine nos afficiat, qvàm amor etiam levior aliarum rerum in sensûs incurrentium. Nam sicut qvod in præsentiâ oculos ferit, vividiorem sui stimulum excitat, qvàm qvod solâ memoriâ retinetur, ita & qvod phantasia mentis qvasi vivis coloribus pingit, acriùs excitat spiritûs vitales, qvàm qvod purâ cogitatione æstimatur. Cumq; in hoc statu nostro ita comparati simus, ut voluntas motibus corporis facilè abripiatur, ut dictũ *cap. 4. §. 26.* facilè patet, qvòd eam eximiè magnam vim animi esse oporteat, qvæ non tantùm suppleat defectum, qvæ à sensuum & phantasiæ ope est in excitandis affectuum motibus, sed & eosdem, cum aliunde excitantur, superet atq; comprimat. Qvalis etsi ad plenitudinem amoris reqviritur, rarò tn. obtinetur. Quo sensu & Johannes concludit, non præsumi posse amorem Dei invisibilis, utpote difficiliorem, ubi non est amor fratris, qvi videtur, *1. Joh. IV. 20.* At effectûs ejusmodi violentos, qvales non nisi phantasia fortis erga res visibiles parit, destruentes tantùm, non roborantes corpus humanum, à verò & sancto amore Dei expectari non debent, ut pallore, macie, febri, deliqviis, &c. se prodat; sed lenes tantùm, qvales historiarum non primus auditus, sed grata recordatio excitare solet, ut nempe teneritudine lacrimarum, plausu manuum, gemitu, cantu &c. se exerat, prout corpore ipso ad ejusmodi effectûs magis minùsve dispositi sumus. Ægram qvidem ab amore se profitetur sponsa mystica, *Cant. II. 5.* sed qvæ convenienter perpetuæ istic allegoriæ intelligenda est, np. de ægritudine animi, seu desiderio propioris unionis & cœlestis gaudii, non corporis sibi attractâ debilitate. Et qvanqvam Chri-

sti

sti quà hominis imago aliqua phantasiæ fortiùs imprimi potest, illa tamen vera amoris spiritualis causa non est, quæ à lineamentis faciei sive veris sive præsumtis petitur. Suspecta igitur vel corruptæ phantasiæ vel affectatæ qvandoq; simulationis est omnis historia sanctulorum illorum, de quibus insolita ejusmodi phænomena apud Pontificios deprædicantur, qvæ nec in Paulo aut Johanne aut sanctorum ullo, nec in ipsâ b. virgine Mariâ S. paginæ laudant. Qvemadmodũ & phantasiæ luxuriam produnt enthusiasmi visionũ, amplexuum, osculorum, lactationum, desponsationum, matrimoniorum, & qvorũ non lusuum? quibus vitæ Dominici, Loyolæ, Theresiæ, aliorumq; plurium (ut & nupera inter nostros vaticinantis virginis historia) famosæ sunt, qvosq; post deletas omnes rerum divinarum species Qvietistis suis, satis absurdè tamen, promittit Molinos. Quibuscum raptus Pauli in tertium cœlum, *II. Cor. XII.* 2. vel *Act. XXII.* 17. aliæq; id genus revelationes divinæ nullam similitudinem habent, uti nec per amoris contemplativi conatum obtigerunt.

§. 18. Amorem affectivum seqvitur effectivus, qvo Deo omnia grata præstare, ejusq; voluntati nos conformes gerere cupimus. Qvi actus ab amore affectivo, dummodo recto, est inseparabilis. Nemo enim Deum ut par est amat, quin pariter & voluntatẽ ejus amet: si verò amat, nihil est qvod efficaciam ejus impedire possit, nisi intercurrens alia voluntas carnis, quâ contrarium placet, *Rom. VII.* 23. *VIII.* 7. qvæ qvamdiu non supprimitur, amor Dei plenus non est, *I. Joh. II.* 5. Hinc nullum sui amorem agnoscit Christus, nisi ad hunc effectum sit efficax, juxta *Joh. XIV.* 15. 21. 23. *XV.* 10. & sic amor Dei ac observatio mandatorum ejus semper conjunguntur, *Deut. V.* 10, *VII.* 9, *XI.* 1. *XIX.* 9. *Neh. I.* 5. Nobilior adeò hic amoris

ris actus est altero priore, quia magis amicitiæ est & gratitudinis, quo Dei, hactenus per se grati, etiam ipsa de nobis delectatio, & fructus illi aliqvis beneficii in nos collati qværitur. Aliter sentiunt mystici, qvando contemplationem cum Mariâ meliores partes eligente, actionem cum Marthâ comparant, ex *Luc. X. 41. seq.* qvasi vel illa ob solum sine praxi amorem theoriæ laudetur, vel hæc ob praxeos ipsius amorẽ, non ejus deordinationẽ potiùs notetur. Certè augeret peccatum nostrum amor affectivus, si in delectatione eâ, qvæ in Deo capitur, ita acqviesceret animus, ne & ad ipsius honorem promovendum exarderet. Qvò enim magis sentitur atq; æstimatur bonitas Dei, eò absurdior est officii in eum nostri neglecta curatio.

§. 19. Studium illud amoris effectivi ut directò fertur in objectum, cui obligati sumus, juxta *cap. 5. §. 19.* ita objecti etiam rationem potiorem habet qvàm subjecti amantis, id est, naturâ prior est cupido benevolentiæ, ut Deo fiat qvod ipsi gratum est, qvàm studium conformitatis nostræ, ut ipsi hoc officium faciamus. Qvod autem in intentione prius est, in re præcipuum habetur & ultimus agendi finis. Ita in eodem officio gratius esse debet, qvòd Deo suus honor procuretur, qvàm qvòd nostra in eâ re se probet sedulitas, dum hæc ab illo amore accenditur. Praxis tamen puræ & abstractæ hujus benevolentiæ in ipso conformitatis studio satis est ardua. Vel enim voluntas, qvæ fertur in Deum, non est efficax, ne planè accendat animum ad Dei obedientiam, sed in nudo voto hæreat, vel degenerat etiam facili lapsu in ambitionem, ut suo potiùs honori studeat, qvò habeat placendi felicitatem, qvàm divino, quò is qvod gratum ipsi est obtineat. Sic amor, qvi in Deum verti debuit, paulatim,

latim relabitur penitus in hominem ipsum, ut malit Deum non amari, aut ejus gloriam non promoveri omnino, nisi sibi in eâ re præcipua laus obtingat, & multi invideant pietati alienæ, qvòd suæ tepidiori ruborem incutiat. At verò amor veræ benevolentiæ erga Deum ita sincerus est, ut æqvaliter gaudeat de honore Dei, undecunque ille procuretur; sicut Paulo qvondam etiam illa prædicatio Christi grata fuit, qvam in pravam sui æmulationem fieri animadvertebat, *Phil. I. 15. 16. 18.* Eqvidem zelus amoris reqvirit, ne velim, esse tardiores aliis, aut in nobis aliqvid patiamur desiderari, sed & ut hujus zeli atq; studii nostri honorem Deo unicè adscribamus, cujus gratia atq; beneficium est, qvòd ipsum ita amemus, neqve nobis inde gloriandi causam arripiamus, *I. Cor. IV. 7. XV. 10. II. Cor. III. 5.* Atq; illa est humilitas amoris, ne Deo qvod ejus est, rapere cupiat, sed ut omnia Dei, nihil suum esse profiteatur, nisi languorem, qvo deficit, & sic etiam qvod sibi deest, suppleri ab aliis ad majorem Dei honorem, seriò exoptet, velit, gaudeat, ut Moses *Num. XI. 29.* Similiter qvicqvid alienâ tarditate aut peccato honori divino decedit, ægrè ferat homo pius, & de acceptis injuriis, non tam qvòd se, qvàm qvòd Deum lædant, doleat. cont. *Num. XVI. 11.* imò ut melius omnes officium faciant, qvantum in ipso est, omnẽ operam navare promtus sit, *II. Cor. V. 14. Psal. LI. 15.*

§. 20. Ut autem studium conformitatis nostræ justum & Deo dignum sit, reqviritur ut sit universale, summum, plenum, prudens. *Universale*, ut qvemadmodum affectio amoris perpetua & adæqvata esse debet, ita & effectio ejus sit, neq; cupiat qvicqvam vel omittere boni, qvod Deo placet, vel admittere mali, qvod ipsi displicet. *Summum*, ut omne aliud superet, qvod vel nobis vel aliis impenditur, sicut & amor affectivus ita summus est. Qvare sicut complacentia Dei & ejus gloria, ultimi Theo-

ologiæ moralis fines sunt, per *Cap.1.§.10.* ita illum utrumq; principaliter respicere oportet, ut etiamsi nulla salus cœli promissa, aut nullus gehennæ ignis timendus esset, in eo tamen proposito firmus & constans perseveres, alioqvin mercenaria aut coacta pietas foret. Tantum abest, ut illa veri amoris bona opera sint, qvæ non nisi opinio meriti, medii aut conditionis sine qvâ non ad salutem, hominibus exprimit, à qvâ totam pietatis praxin non tantùm Pontificii communiter, Arminiani & alii sectarii, sed & qvi inter nostrates syncretistæ audiunt, unicè suspendunt, qvasi non curaturi qvid Deo placeat, si aliâ viâ sibi liceret esse æternùm felicibus. At verò qvamvis nostræ imbecillitati condonare Deus videatur, nec exigere summam sanctitatis ἀκρίβειαν, amoris tamen est, non ab impunitate & indulgentiâ Dei, sed à convenientiâ gloriæ divinæ desiderium suum metiri, ut nolles etiam veniali vel leviusculo peccato eam lædere. *Plenum* reqviritur studium, ut omni desiderio non voluntatis tantùm, sed & ipsi9 velleitatis ad nutum divinum se componere gestiat, ne qvasi correcturus sanctã Dei voluntatẽ, aliud malles, si per eandem id velle liceret; qvalem multi in peccatis delectationem prodere non erubescunt. Sed hoc dicimus de velleitate illorum, qvæ Deo nullo modo placent, ne & nobis ullo placeant; non autem de illis, qvæ per se Deo grata sunt, etsi is propter alium finem, ne hic & nunc effectum suum consequantur, decernit: qvalis est affectus, qvi ex sensu obligationis peculiaris utut impeditæ (de qvo egimus *cap.5.§.18. sub finem*) nascitur, v.g. luctus in morte necessariorum, qvorum, si Deo placeret, vitam malle debemus, *Ezech. XXIV.* 17. Deniq; *prudens* sit idem amor, ut bonam & sanctam voluntatem Dei, qvam sequi cupit, ante omnia rectè intelligere studeat, qvò certa & ordinata actio amoris sit, *Rom. XII.2. Eph.V.* 17. ne qvod vanâ mente præsumit, aut ipse deperit, pro volun-

voluntate Dei obſervet, qvam vocamus ἐθελοθρησκείαν ex *Col. II. 23.* qvâ neqvicqvam Deus colitur, *Matth. XV. 9.* neqve neglectis gravioribus in levia & minùs neceſſaria impetum vertat, ut ſolent, qui v. g. de externo cultûs divini apparatu ſoliciti, at ut animum meliùs indies exornent virtutibus divinis, ſecuri ſunt. Quale peccatum Marthæ fuit in excipiendo Chriſto, *Luc. X. 40.*

§. 21. Obligatio ad univerſalitatem hujus in Deum ſtudii facit, ut omnis actio noſtra ex hoc fonte fluere debeat, in qûacunq; etiam re occupetur. Qvia enim nihil vel eligitur vel intenditur, niſi quod amatur ſive per ſe ſive propter aliud, quicqvid autem amatur, ultimatò propter Deum amari debet, ut docuimus ſuprà §. 12. certè nulla actio intelligentis, qvi finem ſuum novit aut noſſe debet, bona eſt niſi propter Deum ſuſcepta, & in gloriam ejus ſive mediatè ſive immediatè directa, & qvemadmodum ordine naturæ ultimus finis primus eſt in intentione, ita amorem & intentionem procurandi honoris divini omni actioni noſtræ prælucere oportet, *1. Cor. X. 31. XVI. 14. Phil. I. 20.* non verò ſuſcepto jam ante ſtudio noſtro demum accedere, ut ei autoritatẽ addat, ceu factum *1. Sam. XV. 21.* ſicut & illæ primæ preces noſtræ ſunt in oratione Dominicâ, ut ſanctificetur nomen Dei, *Matth. VI. 9.* Qvod præceptum, non conſilium eſſe, rectè urgent contra Jeſuitas Janſeniani, qvanqvam nec ipſi ſatis accurati, cum ut declinent fulmen Pii V. & Gregorii *XIII.* in Michaëlem Bajum olim vibratum, obligationem eam ad actûs deliberatos adſtringunt, *vid. Haberm. part. 2. Theol. Mor. n. 62. 63.* qvaſi vel bene vel licitè fiant, qvæ ſine prævio intellectu non niſi cœco voluntatis impetu fiunt, & ad amorem licet ſanctum & ſupernaturalem, imperfectum tamen, qvo nec dum Deus diligitur ſuper omnia, *ib. n. 67. & 78.* qvaſi non alius major præceptus

sit. Ex hoc principio concluditur porrò, nullam omnino actionem dari, sive deliberata fuerit sive minùs, qvæ respectu agentis sit indifferens, etsi per se, ut in ratione abstractâ considerantur, tales plures sunt. Nam qvando qvod licitè fieri & omitti potest, in honorem Dei fit, bene fit, sin minùs, malè. Hoc sensu omnes actiones & virtutes infidelium sunt peccata, qvia vero principio & fine suo destituuntur, *Tit. I. 15. Matth. VII. 18.* Neqve sufficit ad actiones bonas, egisse ex conscientiâ internæ rectitudinis, qvæ ex ipsâ rerum inter se & ad nos habitudine modum agendi suppeditat, qvam vocare possumus intentionem philosophicam, qvâ sæpe etiam homines mali moventur, ut actûs veros justitiæ aliis sceleribus interserant, *conf. Luc. XI. 13. Phil. III. 6.* sed ipsa hæc rectitudinis conscientia necesse est ut stimuletur ab eo Dei amore, qvo honesta omnia ad illum auctorem ejusqve amorem referre, eique in illis placere cupimus, *Phil. I. 11. II. Cor. V. 9. I. Petr. IV. 11. conf. cap. 6. §. 14.* Non enim propter generalem sanctitatis & justitiæ conceptum, qvi pluribus aptari potest, Deus adæqvatè amatur, sed propter ipsam κεχέτυπον & essentialem sanctitatem suam, per §. 5. *supra*, adeòq; non illa, sed hæc summum hominis amorem meretur, qvò tanqvam ad ultimum finem, ut in communibus πρὸς ἓν fieri solet, actio nostra dirigatur. Directio autem & intentio talis reqviritur omnino habitualis, utpote ex habituali amore pullulans, sed quæ in actûs perpetuos indefessa transeat. Actualis verò etsi semper formalis esse neqvit, qvâ actu reflexo mentis de amore Dei cogites, virtualis tamen continua rectè à Moralistis etiam pontificiis poscitur. Sicut enim, ajunt, qvi in urbem, interlabentibus licet pluribus cogitationibus particularibus, proficiscitur, neq; vel termini vel viæ suæ reflexam & formalem perpetuò considerationem volvit, nullo tamen momento oculos claudere aut alium sibi scopum figere potest, qvin in proposito turbetur, ita & amorem Dei insensibiliter dirigere necesse est actiones fidelium, ut quandocunq; ille elanguet, statim advertant se non recto ordine incedere. Qvod & ex filiis hujus mundi, qui in suo genere sunt prudentiores filiis Dei, *Luc. XVI. 8.* discere jubent, cum v. g. avari ex habitu vitioso omnes actiones ad lucrum suum dirigunt, ne qvid ipsis placere possit, nisi qvod istuc prodest; ut pariter fideles ex amore, qvo calent, respectu Dei ita agere

gere discant. Qvippe totos nos sibi Deus asseruit, ut ipsi essemus hostiæ vivæ & sanctæ, *Rom. XII.* 1. neque nobis vivamus, sed Christo filio ejus, *II. Cor. V.* 15. *Gal. II.* 19. Peccatur verò contra hanc intentionis universalis obligationem, non tantùm contrariâ intentione, sed & neglectione ac oscitantiâ, ut ineptum admodum sit & satis horrendum Jesuitarum Divionensium novum paradoxum, quintâ jam denunciatione Arnaldi publicè notatum, qvo hominem qvantumvis scelestum, si actu de Deo non cogitet dum peccat, excusari posse censent, ne amicitiam Dei dissolvisse, aut Theologicè peccasse dicatur, sed philosophicè tantùm; qvasi philosophiæ major qvàm Theologiæ circa mores rigor & ἀκρίβεια sit.

§. 22. Intensio amoris effectivi, qvâ omnem mercenariam & servilem pietatem excedit, talem infert obseqvendi ardorem, qvi voluntatem nostram in voluntatem Dei penitus resignat, ne qvid velimus sive bonum habere sive malum avertere, nisi qvod ut conseqvamur vel avertamus Deo placet, ad exemplum Christi *Luc. XXII.* 42. Qvæ vocatur *abnegatio sui*, id est, omnis voluntatis atq; desiderii, qvod de re aliâ possis habere, quæ ab omnibus Christi discipulis requiritur, *Matth. XVI.* 24. ut per adversa omnia, tormenta, mortem, ignominiam, & qvicqvid illi placet immittere, Dei nutum lubenter & sine murmure seqvamur, *II. Cor. VI.* 4. *seqq. I. Thess. II.* 2. sicut & ad absolutam ferendi obedientiam jam tum naturaliter obligati sumus, juxta *cap. 6. §. 16. seq.* Ita qvidem, ut illa patientia ex puro amore Dei fluat, cujus velis honori inservire, non ex consideratâ aliâ qvâdam ferendi necessitate aut utilitate demum nascatur, *Phil. I.* 20. *Act. XXI.* 13. Unde adeò nullum tam leviculum peccatum est, qvo liceat qvantumvis grave infortunium avertere velle, cum nec ipsa voluntas avertendi ejus bona sit, cum Deus nos id ferre decrevit, *II. Sam. XV* 26. *XVI.* 11. sed resignatio illa ut est abdicatio voluntatis ejus, quam qvis suo arbitratu fovet, ita ponit voluntatem eam, qvam Deus ipse formavit & habere jussit. Ponit inqvam voluntatem & desiderium æternæ felicitatis ab ipsâ Dei fruitione expectandæ, qvâ eriguntur omnes pii in adversis, *Ps. XVII.* 15. *Matth. XIX.* 29. *II. Cor. IV.* 17. *seq.* ponit desiderium & amorem gratiæ ac charismatum divinorum, & ipsius bonæ voluntatis, *I. Cor. XIV.* 1. *Phil. IV.* 8. *Heb. XII.* 14. *seq.* Illa

enim est voluntas Dei de nobis, *Luc. XII. 32. I Thess. IV. 3.* & sic ex adverso ponit fugam ac horrorem pœnarum infernalium, iræ & derelictionis divinæ, *Matth. X. 28. Ps. XXVII. 9.* Sic etiam in vitâ naturali ponit voluntatem nostri, ut esse velimus, qvales Deus nos creavit, & necessariam aversionem illorum, quæ naturam humanam cum vi & impetu turbant, svavitatem verò eorum, qvæ eidem conformia sunt. Quare sicut in arbitrio nostro non est, utlaceratione & convulsione corporis suaviter afficiamur, aut balsamis confortantibus torqveamur, ita neq; Dei voluntas est, ut ista adversa, cum immittuntur, per se grata sint, aut hæc svavia, quæ subtrahuntur, per se nauseam creent, sed ut propter ipsum tantùm in honorem ac obseqvimus ejus lubenter illa subeantur, hæc dimittantur. vid. ipsius Christi horrentis & anxii, *Matth. XXVI 37.* preces ad Patrem fusæ, *v. 39. 42. Heb. V. 7.* Sicut contrà cum Deus nobis indulget, concedendo svavia & avertendo tristia, id etiam à voluntatis divinæ conscientiâ unicè fluere debet, qvòd voluntate absolutâ non nudâ velleitate illa cupiamus, hæc fugiamus: & sic ipsa vita æterna ultimatò non nisi ob voluntatem Dei promittentis expetenda, & gehenna fugienda est. Id quod observandum est tum adversus stultitiam mysticorum, qvi perfectionem amoris in eo ponunt, ut cœlum & infernus nobis sit indifferens, nedum alia fata, qvæ minoris momenti sunt, tum adversus impietatem nuperorum Quietistarum, qui tantam abnegationem voluntatis nostræ commendant, ne omnino quicquam velimus, nec solatium Dei, nec donum Spiritûs S. neq; defectuum nostrorum emendationem, & qvasi tæderet homines aut creaturas esse, in abyssum Deitatis tandem se perdere & annihilare jubent. Ita scilicet amore facturi ne ametur Deus, neque ejus vel delectatio ulla sit, vel gratam obedientiam præstandi studium. Deinde neqvè tollit hæc resignatio officium intellectûs ac prudentiæ humanæ, quâ in iis, de quibus voluntas Dei determinata in verbo ejus non est, quid optimum sit, dispicias atq; eligas, *Prov. XIV. 8. I Cor. VII. 36.* Ad id enim ratio nobis data est, ut eâ ad finem nostrum utamur, quiq; illâ pariter & libertate suâ utitur, voluntatem Dei eatenus sequitur. Qvod iterum observandum est adversus illa mysticorum nonnullorum, & qui eos imitantur, deliria, cum sic demum se amorem Dei perfectè observare, eiq; se penitus relinquere æstimant,

si

si abjectâ omni curâ & consilio velint, ut Deus quasi immediatè de rebus illorum disponat: contra omnem praxin sanctorum, vid. *Act.* XXIII. 17. *seq.* XXVII. 31. *&c.* quandoq; & obedientiam quæ Deo debetur, in homines transferunt, ut eorum, quos sibi rectores eligunt, jussa omnia pro divinis observent, non sine ingenti stupore atqve implicitiâ idololatriâ. conf. monitum Apostoli, *I. Cor. VII. 23.*

§. 23. Plenitudo voluntatis in amante facit, ut sine omni luctâ atq; difficultate se in illis exerceat, quibus se Deo gratum facere posse intelligit. Sicut enim imperare suave est, quia nihil agitur nisi quod placet, ita non minùs obedire svave est, quando & ejus nos unica lubido tenet, molestias laboris non tantùm superante, sed ne sentiente quidem animo in finem suum unicè incumbente. *conf. cap. 2. §. 6.* Ita jugum Christi suave est, *Matth. XI. 30.* quia amoris jugum est, & in sensu conjuncto, non (ut vulgò fit) diviso, intelligi debet Johannes, cum *I. ep. V. 3.* eam charitatem esse dicit, quâ *facimus præcepta Dei, & illa non sunt gravia*, id est, quâ facientibus non sunt gravia, seu non molestè accidit, quòd obediamus, sed quòd deficiamus. Serviendum omnino est Deo & justitiæ, *Rom. VI. 18. 22.* quia ad regulam adstricti sumus, sed amor solam vim legis directivam non coactivam sequitur, & quæ Deo conveniunt, ex ipsâ nostri ad illum relatione atq; habitudine illi promtè & sine morâ cupit. Vis coactiva verò exeritur in invitum, nec nisi comparatam ciet voluntatem, *vid. cap. 4. §. 10.* quæ amori vero adversa est. Hinc justo lex non esse posita dicitur, 1. *Tim. I. 9.* nempe ad illud officium, unde ejus vocis significatio famosior est, quia qui justus & pius est, amore antevertit cogentis imperium, & ad id sponte contendit, quo alii non nisi vi & metu adiguntur. Etsi autem amori sola sufficit voluntas Dei, ut secundùm illam agere contendat, magis tamen accenditur atq; in obsequium benefactoris rapitur animus, cum qvasi ad familiaritatem acparticipationē consilii admissus, ipsam rei volitæ rationem perspectam habet, neq; tantùm alieno jussu, sed suo qvoq; ipsius intellectu nititur obedientis studium. Eâq; in re status Novi Test. felicior est veteri, qvòd quicqvid Deo gratum facere possumus, ab internâ agendi rectitudine se nobis commendet, cum illis multa legum arbitrariarum seges fuerit observanda, quarum ratio non nisi in solam legis promulgati-

gationem, & voluntatem Dei populum obsequio exercere volentis resolvi poterat. Unde sicut hæc velut amicorum conditio servili alteri meritò præfertur, *Joh. XV. 14. seq. Rom. VIII. 15. Gal. IV. 7.* ita digna est, ut magis etiam amoris studium excitet in iis, qui illam in verâ fide considerant. Accedit, quòd non ita sumtuosus & onerosus Dei cultus nobis in N. T. impositus sit, ut in V. T. erant sacrificia & purgationes Leviticæ, & sic minùs impedimenti nunc detur, quod amoris studium retardare possit, cujus gratiæ divinæ & libertatis nostræ agnitio vehementiùs nos excitaret debet ad τὴν λογικὴν λατρείαν, quæ sola nunc requiritur, *Rom. XII. 1.* Deo exhibendam.

§. 24. Tandem ut suum voluntati ab intellectu lumen salvum sit, non nisi cum pari mentis vigore atq; vigilantiâ crescere oportet zelum amantis. Coqvit animum intus quasi sacro igne amor Dei, ut efferveſcat in majorem semper promovendæ gloriæ ejus industriam, superandiq; quæ objiciuntur, impedimenta omnia. *Cant. VIII. 6.* Sed ad vehementiorem hunc animi ardorem acrior opus est incalescentis attentio, ut sapienter & circumspectè omnia agat, *Phil. I. 9. seq.* neque adversus veram prudentiam affectus præponderet, *conf. Rom. X. 2.* Non possumus quidem nimis amare aut studere Deo, possumus tamen festinando aberrare à vero amoris tramite, & sic pro imbecillitate ingenii humani in urgendis honoris divini mediis facilis est etiam sanctioribus excessus, *II. Cor. V. 13.* Unde varios sæpe nævos observamus, in medio pietatis studio debilitatem judicii arguentes. Qvorum sive exempla quædam obvia, sive prona adversus plures suspicio, novum hodie in ecclesiis nostris *pietismi* nomen peperit, quo alii ab aliis non sine scandalo infirmorum notantur. Nec desunt satanæ insidiæ, sedùli ut quomodocunq; corrumpat quod bene cœptum est, & quem fortè extinguere nequit, ad ambitionem aut vanam fiduciam vel heroici instinctûs vel extraordinarii luminis cœco impetu præcipitet zelum. Interim ut omnino par est providere, ne optimè cogitata pessimè cadant, & de tristi ejusmodi lapsu, qvalem nuper in Doctore qvodam nostrate experti sumus, meritò dolemus, ita & cauti simus lubricitatis alienæ censores, ne in ipsam pietatem recidat, quòd in abusûs dicitur: memores, qvòd minùs peccent, qui sine consilio fervidi sunt in amore Dei, quàm qui consultò tepidi, condonante Deo optimæ animi intentioni multa, quæ malæ cupiditati non indulget.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746160089/phys_0252
DFG

COROLLARIA RESPONDENTIS SECUNDUM SERIEM LOCORUM THEOLOGICORUM PROPOSITA.

Ex. L. De SCRIPT. SAC.

I. Prophetæ & Apostoli scripserunt mandato divino. Contr. Pont.

Ex L. De DEO.

II. Mysterium S. S. Trinit. & in V. & in N. T. satis clarè & sufficienter nobis est manifestatum. Contr. Syncretistas. it. Phot. Arianos. &c.

L. De CREAT.

III. Omnia producta sunt ex nihilo, Contra Phot. & Novat. qvosdam.

IV. Anima hominis hodie non ex nihilo creatur, sed à Parentibus per naturalem propagationem producitur s. generatur. Contr. Calvinianos & Syncretistas.

L. De ANGELIS.

V. Etiam Angeli in Hexaëmero creati sunt. Contr. Phot.

VI. Cuilibet homini destinatum esse unum angelum custodem & unum tentatorem, probari nequit. cont. Pontif.

L. De IMAG. DIVINA.

VII. Homo tam masquàm fœmina non ad imaginem angelorum, sed ipsius Dei creatus est. contr. Socin.

VIII. Nulla in protoplastis ante lapsum fuit ad mortem inclinatio neq; proxima neq; remota.

L. De PECCATO.

IX. Deus nulla ratione peccati causa dici potest aut debet; neq; per se, neq; per accidens, neq; physicè neq; moraliter. Contra crassiores Calvinianos, Bezam, Zwinglium &c.

L. De LIB. ARBIT.

X. Homo non renatus in rebus & actionibus spiritualibus lib. arb. plane habet nullum, ita ut intellectus in cognitione mysteriorum fidei plane sit cœcus; Voluntas a, à bono spirit. & obe-

& obedientia fidei tota abhorreat, adeoq; homo ad sui conversionem nihil planè conferre possit, quæ in solidum Spiritus sancti gratiæ adscribenda est. Contr. Pont. & Phot.

De CHRISTO.

XI. Filius Dei humanam naturam per se ἀνυπόστατον in personæ suæ unitatem assumsit, s. re vera incarnatus est. Contr. Pont. Apollinaristas & Valentinianos.

XII. Christus tempore passionis ultimo cruciatus infernale vere sustinuit.

De LEGE.

XIII. Legem moralem nemo hominum in hac vitâ perfectè implere potest, perfectione legi debita. Contr. Pont. Phot. & Anab.

De EVANG.

XIV. Promissiones evangelicæ Dei gratiam & misericordiam revelantes, quæ ad voluntatem Dei antecedentem pertinent, simpliciter universales sunt, ad omnesomnino homines pertinentes. Contra Calv. tàm Veteres, quàm modernos.

De JUSTIFICAT.

XV. Sola fides sine operibus nos justificat per modum nudi instrumenti, quo misericordiam Dei nobis applicamus, propter Christi meritum peccata nobis remittentis. Contra Pont: Phot. & Novatores aliqvos.

De PRÆDESTINAT.

XVI. Reprobatio eorum, qvi damnantur, non est absoluta, qvocunq; illa nomine veniat, sed facta sub intuitu finalis incredulitatis s. impœnitentiæ hominum reprobatorum. Contr. Calvinianos, etiam modernos, mollius qvidem aliqvando loqvi visos, distinguendo nempe inter reprobationē positivam & negativam, qvarumhanc non illam absolutam vocant, idem v. crasse sentientes.

De BONIS OPERIBUS.

XVII. Solus homo renatus potest B. O. Theologicè spectata præstare

præstare, irregenitorum verò opera laudabilia nequaquàm Theologicè bonadici possunt. Contr. Pontif.

DE POENIT:

XVIII. Lapsis post Baptismum contingere potest remissio peccatorum quocunq; tempore, cum convertuntur. Contr. Novat.

De MINIST. ECCLES.

XIX. Ut aliquis se pro publico Dei ministro venditare possit, requiritur divina ejus atq; legitima vocatio. Contr. Pont. Phot. & Anab.

XX. Etiam juvenes, donis mediocribus & Deo ornati, ad munus docendi publicum adhiberi possunt. Aff. cum B. Tarnovio, multis tam rationibus qvàm exemplis scripturæ id defendente in Typo fidelium s. Differt qvadam de dict. Apost. 1. Tim. 4, 12. Quænam juveni Theologo afferant auctoritatem.

De ECCLESIA.

XXI. Vera ecclesia latere quidem potest & decrescere, sed nunquam totaliter deleri. Contr. illinc Pontif. hinc Armin.

De BAPTISMO.

XXII. Pædobaptismus non est res illicita, sed S. scripturæ auctoritatem habet. Contra Anabapt. & Socin.

De COENA DOM.

XXIII. Corpus & sanguis Christi verè, realiter & substantialiter sunt præsentia in S. Cœna, & quidem per unionem sacramentalem cum externis symbolis, modo præsentiæ divino & nobis incomprehensibili. Contr. Calvinianos, non nisi per nostram fidem corpus & sanguinem Ch. J. præsentia in Cœn. Dom. statuentes.

De MAG. POLIT.

XXIV. Futura fuisset res publica in statu innocentiæ. Contra Moralist. aliquos.

XXV. Bellum Magistratui politico omnino licet gerere, etiam tempore N. T: modò legitimo fiat modò & oblegitimas causas: Cujusmodi sunt inevitabilis vel suâ vel subditorum defensio,

non

non denegatio transitus (ut vult Hugo Grotius) non ampliatio imperii, non potentia Vicini principis infringenda. Contra Anabaptistas & Phot.

De CONJUGIO.

XXVI. *Polygamia non est licita jure divino.* Contra Nicolaitas & quosdam hodie empæctas.

De MORTE.

XXVII. *Animæ separatæ statim post mortem corporis vel gaudia cœlestia vel dolores infernales in certo gradu sentiunt.* Contr. Pont. & Phot.

De CONSUMMATIONE SECULI

XXVIII. *C. S. consistere non in nuda qualitatum mutatione sed ipsius substantiæ abolitione & totali omnis creaturæ non-intelligentis annihilatione, emphasi dictorum scripturæ, dicitur convenientius.* Cont. Pontif. & Calv. quosdam.

De RESURR. MORTUORUM.

XXIX. *Corpora olim in die novissimo resuscitanda, à Corporibus, quæ in hac vita circumferimus nec substantia nec numero diversa erunt.* Contr. Pont.

De EXTREMO JUDICIO.

XXX. *Christi reditus ad judicium non opponitur contradictoriè ejus in terris perpetuæ præsentiæ secundũ utramq; naturã.* Contr. Calvin.

De INFERNO.

XXXI. *Diversi pœnarum infernalium gradus erunt futuri, & damnatorum anima & corpus eandem quidem specie pœnam infernalem sentient, damni & sensus, alii tamen magis alii minus.* Contra. Phot. & Jovinianistas.

De VITA ÆTERNA

XXXII. *Cœlum Beatorum locum esse supra cœlum sidereum elevatum & eum undequaq; ambientem, temere asseritur.* Contr. Pont. & Calvinianos quosdam.

XXXIII. *Non tantum proceres & primicerios, nempe Adamum cum patriarchis prophetis & Apostolis in vita æterna; nos cognituros esse speramus sed omnes omniũ electos atq; beatos.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746160089/phys_0256
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746160089/phys_0260
DFG

præstare, irregenitorum verò opera laud… qvàm
Theologicè bonadici possunt. Contr. Pontif…

DE POENIT:

XVIII. Lapsis post Baptismum contingere … pec-
catorum qvocunq; tempore, cum convertunt… ovat.

De MINIST. ECCLES.

XIX. Ut aliqvis se pro publico Dei minist… ossit,
requiritur divina ejus atq; legitima vocati… Pont.
Phot. & Anab.

XX. Etiam juvenes, donis mediocribus … munus docendi publicum adhiberi possunt. Aff… rno-
vio, multis tam rationibus qvàm exem… ræ id
defendente in Typo fidelium s. Differt… dict.
Apost. 1. Tim. 4, 12. Quænam juveni T… rant
auctoritatem.

De ECCLESIA.

XXI. Vera ecclesia latere quidem potest … sed
nunquam totaliter deleri. Contr. illinc Pon… min.

De BAPTISMO.

XXII. Pædobaptismus non est res illicit… tura
auctoritatem habet. Contra Anabapt. & S…

De COENA DOM.

XXIII. Corpus & sanguis Christi verè, r… stan-
tialiter sunt præsentia in S. Cœna, & quide… n sa-
cramentalem cum externis symbolis, modo p… no &
nobis incomprehensibili. Contr. Calvinian… per
nostram fidem corpus & sanguinem Ch… ia in
Cœn. Dom. statuentes.

De MAG. POLIT.

XXIV. Futura fuisset res publica in statu in… ntra
Moralist. aliquos.

XXV. Bellum Magistratui politico omnino … iam
tempore N. T: modò legitimo fiat modò & o… sas:
Cujusmodi sunt inevitabile vel suâ vel sub… nsio;
non

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746160089/phys_0261
DFG